



**Victorini Strigelij, Viri Clarissimi Epistolae aliquot piae simul  
et eruditae de negocio eucharistico scriptae ad amicos, nunc  
editae vt pii viri memoria contra adversariorum calumnias  
vindicetur.**

<https://hdl.handle.net/1874/454977>

Victorini Strigelij, Viri  
Clarissimi

3

EPISTOLAE ALI-  
QVOT PIAE SIMVL ET  
ERVDITAE DE NEGOCIO EV-  
CHARISTICICO scriptæ ad  
amicos,

N V N C E D I T A E , V T P I I V I .  
R I M E M O R I A C O N T R A A D V E R-  
siorum calumnias vindicetur.

I T E M

D. Augustini perpetua sententia & confessio de Sacramen-  
tis in genere, & de cena Domini, collecta ab eodem D. Vi-  
ctorino in gratiam Illustrissimi cuiusdam Principis.

Adiuncte sunt D. Iohannis Iacobi Grynæi, Theologia Doctoris  
T H E S E S de vtriusq; Testamento Sacramentis, in A-  
cademia Basileensi, 4 July, anno 1583 disputata.



NEVSTADII PALATINORVM.

Typis Matthai Harnisch.

A N N O  
cl. I<sup>o</sup>, LXXXIIII.

## ERRATA.

- Pag. 17, lin. 2. lege pernitorus.  
19. 19 ignari inanibus ymbris.  
20. 33 quamuis.  
21. 1. permittant non &c.  
43. 3. vocat.  
ib. 19. significantur.  
45. 8. crit.  
46. 12. carnem eius.  
ib. 23. ineffabilem.  
50. 25. 1564.  
64. 1. æræ,

3

EVSEBIUS PHILALETHERS  
TIMOTHEO ELPVRANIO  
S. D.

**R**editæ mihi sunt literæ tuae, in quibus ex me  
quaris de apophtegmate illo, ut tu nominas, Vi-  
ctoriniano, quod toties & tam virulentè exagita-  
tur à plurimis Theologis Flaccianis et Vbiquitari-  
is, quasi videlicet Victorinus noster p. m. dixerit & scipserit  
in negocio cœna Dominicæ, sinistro oculo esse respiciendum ad  
verba institutionis, dextro ad naturam. Facile etiam tibi cre-  
do assueranti de dolore tuo, quem ex hac re capias. Cùm au-  
tem scire cupias, An unquam Victorinus ista qua& hi tam con-  
fidenter mortuo exprobrant scripserit? & ubinam extent in  
libris ipsius? sanè tibi quod res est dicam ingenuè & simpli-  
citer: Esse hoc merum gregis istius commentum, & non dif-  
ferre hanc fabulam tum à putido illo mendacio, quod  
Selneccerus aliquando sparsit de diuinitus imperfecto & mor-  
tuο Lago, qui nunc etiam viuit, tum ab alijs falsitatibus, quas  
Nugator iste nugacissimus sine fine & modo solet euomere, ut  
nemini possit esse dubium de spiritu, unde hæc proficiuntur.  
Sic vero se res habet. Paulò ante mortem Victorini prodijt  
liber quidam Illyrici contra Theodororum Bezam scriptus: sed  
erat tamen ad calcem adiecta etiam appendix in Victorinum,  
cuius se epistolas aliquot de negocio cœna Domini legisse dicit,  
eaque more suo mutilas citat & deprauat multis modis: &  
inter alia hanc etiam calumniam de oculo sinistro profert. Ve-  
nit tunc etiam ad meas manus ille Flaccianus partus, sed non  
legeram adhuc, neque videram epistolas illas, cum quibus sibi  
negocium istud esse volebat Flaccus: Statim tamen in men-  
tem venit cogitare, esse hoc artificium βλασphemίαν, & fore hoc  
simile operibus istius artificis cateris: Itaque ad Victorinum

ipsum, p. m. scripsi, & quomodo seres haberet, quasi. ergo pro humanitate sua ipsam illam epistolam, ex qua Arantius Illyricus venenum hoc suxerat, unacum alijs quibusdam eius generis, quae partim sunt didacticæ, partim iægysticæ ad me misit, quas nunc tecum communico, ut vides, universas. Vide mi Timothœe, & agnoscce primum in Flaccio fontem & originem huius calumnia: deinde aspice mihi Selneccerum & alios Flacci discipulos & sc̄tatores, vel potius sobolem germanam. Nunquam isti viderunt epistolam Victorini, sed tantum Flacci sermonem repetunt, & summa cum audacia atque impudentia, & contra omnem veritatem, pietatem & honestatem spargunt, ac quantum in ipsis est, cupiunt totum mundum unā secum mentiri. Est ne hoc boni viri, ita illudere Deo, confingere mendacia, maledicere optimis viris, mortuos etiam, & quorum caro in spe quiescit, probris & contumelijs afficere.

Solent illi homines perpetuo suis aduersarijs obijcere mendacia, qua tamen neque proferre possunt ulla, & cum profertur, tum velut mus in pice harent, & ipsi in mendacijs deprehenduntur. Quod Selneccerus de Victorino scripsit, aquæ verum est ac quod de Lago afferere ausus fuerat. O miseram etatem nostram in hoc seruatam, ut tales homines in templis & scholis emineant. Verè nunc neque signa nostra conspiciimus amplius, neque Prophetas. Sed tu Domine vides & requires: tu sis index & vindex. Oro te, ut has quas mitto nostri Preceptoris epistolæ, diligenter legas, et mihi tuam sententiam de ijs significes. Nisi me fallunt omnia, satisfacie tibi breuitas ista tam sancta, & plorate dices ex ijs cognouisse, quam ex alijs quibusdam longioribus scriptis. Addidi etiam quandam syluam sententiarum Augustini, de hac eadem causa in gratiam Principis cuiusdam ab eodem artifice casam: ut hic unus doctor tibi sit arguento, quid statuendum sit de-

de Confessione Antiquitatis, ad quam semper in hoc negocio  
nos relegare, ut scis, solebat beata, sancta & innocens illa ani-  
ma, Deoque & bonis cunctis dum vita manebat dilectum ca-  
put, Philippus Melanchthon: cuius laus est in Ecclesia, & me-  
moria in benedictione. Optimè vale, & habe me quoque  
commendatum precibus tuis, quas fundis quotidie pro  
salute Ecclesia & Reip. Christiana. Datæ

Mense Augusto, Anno  
M. D. LXXXIII.

A 3



Reuerendo Viro, Doctrina & Pietate praestanti, D. Bilibaldo Ramsbeccio, Ecclesiast& Chambensi; amico suo.

Epistola I.



Enerande & doctissime Vir, amice charissime, virtus necessaria est, & cognata Veritati Docilitas, qua frenantur animi, ne arroganter de se sentiant, nec admiratione propriæ sapientiæ contemnant aliena iudicia, sed audiant, & conuicti veris argumentis cedant. Hanc veritatem in Doctore Ecclesiae Paulus requirit ad Titum scribens, cùm iubet eligi Episcopum, qui non sit pertinax. Cùm igitur in Epistola nuper ad me scripta significaris te abhorre à cœca pertinacia, & cupias erudiri de controuersia, quæ hodie in Ecclesia magna animorum contentione agitatur, breuiter tibi respondebo, non concentis personam induens, sed fidelis monitoris officio fungens. Nam doctrina de coena Domini in scripto Heidelbergensi sic explicata est, vt nihil de ea requirendum sit vberius. *Quemadmodum autem Hippocrates præcipit, vt Medicus dextro oculo ad naturam, sinistro ad artem respiciat: Ita ego tibi hortator sum, ut non tantum verba Cœna consideres: sed multò magis conuersus sis animo & cogitatione ad totum corpus doctrinæ Christianæ, eaque in re obtemperes præcepto Pauli Roman. 12. Interpretatio scripturæ sit analoga fidei, id est, congruat cum fundamento, nec ullum fidei articulum euertat. Oportet enim secundum plura intelligi pauciora, vt ait Tertullianus. Et Athanasius in Epistola de Synodo Nicæna præclarè dixit: Perspicacium est, vt Paulus præcipit, pro*

7

pro natura rerum, quæ ibi scribuntur, vocabula accipi-  
ant, sine intellectus confusione. Iam verò satis constat,  
præcipuum fidei nostræ articulum esse, qui docet, duas  
esse in Christo naturas, inconfusè, immutabiliter, in-  
diuisè, inseparabiliter, nequaquam naturarum diffe-  
rentiam vnione tollente, sed proprietatem potius vtri-  
usque naturæ conseruante, & quæ sequuntur in symbo-  
lo Chalcedonensi tibi non ignoto. Noli etiam dubi-  
tare, ibi nunc esse Hominem Iesum Christum, vnde  
venturus est, memoriterque recole & fideliter tene  
Christianam confessionem, quoniam resurrexit à mor-  
tuis, ascendit in cœlum, sedet ad dextram Patris, nec  
aliundè quām inde venturus est ad viuos mortuósque  
iudicandos. Et sic venturus est, illa Angelica voce te-  
stante, quemadmodum ire visus est in cœlum, id est, in  
eadem carnis forma atque substantia, cui profectò im-  
mortalitatem dedit, naturam non abstulit. Libet enim  
mihi ijsdem verbis vti, quibus vsus est Augustinus in E-  
pistola ad Dardanum. Deinde nobis persuasum sit,  
idque exploratum omnino ducamus, Ecclesiam omni-  
um temporum eadem & communia bona habere,  
hoc est, idem verbum, eundem Christum, eundem  
Spiritum, eandem fidem & beatitudinem. Nam ca-  
dem vox est veræ Ecclesiæ, inde usque à primis parenti-  
bus, Et idem Euangeliū; & congruit vox Prophetarum  
cum voce Filij Dei & Apostolorum, nisi quod  
Prophetæ de venturo Messia concionantur, Apostoli  
de exhibito. Cætera sunt eadem. Quod autem Eccle-  
sia eundem Christum habeat, testatur notissimum di-  
ctum in Epistola ad Ebræos: Iesus Christus heri & ho-  
die idem est & in secula: Heri, ante tempus sui aduen-  
tus in carnem: Hodie, cum reuelatus est in tempore:

Nunc

Nunc & in secula est idem Christus, per quem unum & eundem liberantur a lege, iustificantur & saluantur omnes credentes, qui fuerunt, sunt & erunt, ut ait D. Lutherus enarrans caput 4 ad Galat. Porro de eodem Spiritu & fide Paulus 2 Corinth. 4 inquit: Habentes eundem Spiritum Fidei, sicut scriptum est: Credidi propter quod locutus sum. Si ergo eundem spiritum fidei & illi habebant, qui venturum in carne Christum prænunciauerunt, quem etiam illi, qui eum venisse nuntiaverunt: Sacraenta esse potuerunt pro temporum diuersitate diuersa, ad vnitatem tamen eiusdem fidei concordissimè recurrentia. Eadem est namque nostra & illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum, ut Augustinus scribit ad Optatum. His duobus fundamentis consideratis, non capiat nos obliuio articuli de sola fide iustificante. Ut enim non est aliud nomen sub cœlo datum homini, fuis, teste Petro, in quo saluari oporteat, nisi nomen Iesu Christi: ita non est aliud instrumentum, quo Christus cum omnibus suis beneficijs apprehendi, & nobis applicari possit, nisi sola fides, quæ est virtus, ut veteres dixerunt, apprehensua. Non igitur fingamus ore corporeo manducari Christum, aut eius beneficia: sed retineamus particulam exclusuam non solum in articulo iustificationis: sed etiam in ceteris doctrinæ Christianæ partibus. Meministi enim illas Lutheri præclaras sententias: Locus iustificationis diligenter discendus est: in eo enim comprehenduntur omnes alij fidei nostræ articuli; eoque saluo, salvi sunt & reliqui. Item, stante articulo iustificationis stat Ecclesia: Hoc carente, simul ruit Ecclesia. Postquam autem cogitationem piam & Fidei analogam, de his quæ hactenus breuiter

III.

III.

breuiter indicata sunt, suscepisti: subeat animum con-  
 sideratio totius ministerij Ecclesiastici. Ut enim re-  
 spectu nostri vna duntaxat manus est, accipiens Chri-  
 stum & omnia eius beneficia: sic respectu Dei vna ma-  
 nus est, dans & exhibens seu offerens beneficia Christi,  
 videlicet vox Euangelij, & Sacramentorum admini-  
 stratio. Cùm autem Sacmentum sit signum Gratiae,  
 & verbum visibile; non somniemus alia aut maiora bo-  
 na in Sacmentis offerri credentibus, quàm in ipsa vo-  
 ce Euangelij audita, lecta & cogitata. Nam vt Euan-  
 gelium est potentia Dei ad salutem omni credenti: sic  
 baptismus est lauacrum regenerationis & renouatio-  
 nis: & cœna Domini est communicatio corporis &  
 sanguinis Domini. Ac ne quis arbitretur, alia bona in  
 cœna Domini, quàm in baptismo credentibus exhibe-  
 ri: teneantur hæc dicta Augustini & Hieronymi, sacris  
 literis consentanea. Sic enim Augustinus inquit: ci-  
 tante Gratiano dist. 2. Nulli est aliquatenus ambigen-  
 dum, vnumquémq; fidelium corporis & sanguinis Do-  
 mini tunc esse participē, quando in baptismate mem-  
 brum Christi efficitur, nec alienari ab illius panis cali-  
 cisque consortio; etiam si, antequam panem illum co-  
 medat, calicémque bibat, de hoc seculo migrauerit, in  
 vnitate corporis Christi constitutus: Sacmenti quip-  
 pe illius participatione ac beneficio non priuabitur,  
 quando in se hoc, quod sacramentum illud significat,  
 inuenierit. Et Hieronymus ad Hedibiam: Quotquot  
 in Christo baptizamur, Christum induimus, & panem  
 comedimus angelorum. Quòd autem hæc cum Chri-  
 sto sola fide, & non aliter fiat, docet D. Lutherus ine-  
 narratione capit. 28. Geneseos: Alia est, inquit, con-  
 iunctio nostra & Christi, sicut Iohannes pulcherrimè

coniungit: Ego in Patre, & Pater in me. Hoc prius est: Posterius; Vos in me & ego in vobis. Hæc est allegorica scala. Allegoria autem debet alere fidem, non docere de rebus nostris, aut de operibus nostris. Nos ergo per fidem rapimur & efficiamur una caro cum ipso, sicut inquit Christus Iohan. 17. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis unum sint. Ita in ipsum ascendimus & rapimur per verbum & Spiritum sanctum; & ipsi adhaeremus per fidem, unum existentes corpus cum ipso, & ipse nobiscum; ipse caput, nos membra. Rursus ipse descendit ad nos per verbum & Sacra menta docendo & exercendo nos in sui cognitione. Prima igitur coniunctio est Patris & Filii in diuinitate. Altera, Diuinitatis & Humanitatis in Christo. Tertia, Ecclesiæ & Christi. Hæc est vera sententia, quam odiit Diabolus, & fortasse præuidit in cœlo. Ideò non cessat pugnare contra scalam & hunc ascensum & descensum, ut ab eo nos abstrahatur. Id molitur per omnes sectas & hæreses, ut auocet homines à cognitione Christi, ab eius diuinitate & humanitate, utq; distrahat totam Ecclesiam, & membra à Christo. Haec tenus Lutherus. His fundamentis: de Filio Dei, de Ecclesia omnium temporum, de sola Fide iustificante, deniq; de ratione totius Ministerij probè fixis & stabilitis, non difficilis est diiudicatio controversie de cœna Domini. Totum enim hunc locum Augustinus in sermone secundo de verbis Apostoli, uno versu conficit: Putastis, quia de hoc corpore, quod videtis, partes facturus sim, & mea membra concisurus & vobis daturus? Illud manducare refici est. Illud bibere, quid est, nisi vivere? Tunc autem corpus & sanguis Christi erit vita vnicuique, si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritaliter.

ii

taaliter manducetur & bibatur. Sed quidago? An ob-  
litus sum, me tantum monitoris personam sustinere?  
Dabis igitur mihi veniam, quod epistola monitoria  
penè didascalica facta sit. Benè vale, Bilibalde charis-  
sime, & has admonitiones ab optimo animo profectas  
boni consule. Poteris etiam aliis, qui sunt dociles, &  
veritatem anteceptis opinionibus anteponunt, hanç  
qualem cùnque epistolam piè magis quam ornatè scri-  
ptam communicare. Sed hæc tuo iudicio permit-  
to. Iterum vale. Ambergæ, die 7. April. Anno Chri-  
sti 1567.

*Victorinus Strigelius exul Christi,  
propter manifesta veritatis  
confessionem.*

*Ad eundem.*

**V**enerande & doctissime Vir, amice charissimi. Epistola 2.  
me, Prodit veritatem, qui non expeditè re-  
spondet de Religione rebúsque diuinis dili-  
gentibus Dominum. Cùm igitur à te inter-  
rogatus sim de corporali mādicatione corporis Chri-  
sti, quæ fit corporali modo, non est meum nominisq;  
Christiani veram de hac re sententiam occultare; tēq;  
oro, vt eodem candore hanc responsionē accipias, quo  
priorē epistolā de spirituali manducatione amplexus  
es. Omissis autē non necessarijs ambagibus, quibus bo-  
na causa non indiget, ad quæstionem tuam accedo. Pe-  
tit à me, vt firmissima argumenta ostendam, quibus  
probetur, corporalem manducationem essentialis cor-  
poris & sanguinis Christi Iesu non adeò necessariam &

ponderosam, vrgendámque esse, & quæ sequuntur in  
tuis literis. Ego verò omni asseueratione confirmo, in-  
ane commentum de corporali seu orali manducatio-  
ne essentialis corporis Christi reiectum & repudiatum  
esse ab ipso Domino in concione luculenta, quæ apud  
Iohannem extat. Cùm enim eadem sit doctrina con-  
trariorum, & eiusdem artificis sit confirmare veram  
sententiam, & refutare contrarias opiniones, quæ ve-  
ritati aduersa fronte repugnant: Dn. N.I.C. non mo-  
dò veram doctrinam de spirituali manducatione sua  
carnis Ecclesiæ tradidit: sed etiam carnalem imagina-  
tionem de corporali seu orali manducatione siue cras-  
fa siue subtili acerimè taxauit. Usus est autem duobus

I.  
Impossib.  
adamantinis & inuisitatis argumentis; quorum prius ab  
impossibili, alterum ab inutili dicitur. De impossibili-  
tate inquit: Hoccinè vos scandalizat? quid si videri-  
tis Filium hominis ascendentem, vbi erat prius? quasi  
dicat; carnale somnum de corporali seu orali mandu-  
catione carnis meæ, ipso facto refutabit veritas ascen-  
sionis meæ in cœlum. Nam ascendere in cœlum, non  
significat ex visibili fieri inuisibilem: sed ex hoc mundo  
inferiori migrare in locum cœlestem, & corporali lo-  
catione spacium aliquod occupare finitum secundum  
veri corporis motum, vt non solùm vniuersa scriptura  
Prophetica & Apostolica, sed etiam tota vetustas Græ-  
ca & Latina uno ore affirmat. Ac vt ex multis testimo-  
nijs piæ vetustatis pauca duntaxat repetam, quis igno-  
rat illam Augustini præclaram sententiam in epistola  
ad Dardanum: Christum Dominum nostrum, vniige-  
nitum Dei Fillum, & qualis Patri, eundemque homi-  
nis filium, quo maior est Pater; & vbique torum præ-  
sentem esse non dubites, tanquam Deum; & in eodem  
templo

templo Dei esse, tanquam inhabitantem Deum; & in  
 loco aliquo celi, propter veri corporis modum. Idem  
 tractatu 102. in Iohannem: Exiit à Patre, quia de Patre  
 est; & in Mundū venit, quia Mundo suum corpus ostendit,  
 qd de Virgine assumit. Relinquit Mundum corporalī discessione, perrexit ad Patrē hominis ascensione,  
 nec Mundum deseruit præsentia & gubernatione. Et ser-  
 mone 60. de verbis Domini: Semper quidem diuinata  
 nobiscum est: sed nisi corporaliter abiret à nobis;  
 semper eius corpus carnaliter videremus, & nunquam  
 spiritualiter crederemus. Fulgentius lib. 2 ad Thrasy-  
 mundum: Vnus idēmque homo localis ex homine,  
 qui est Deus immensus ex Patre: Vnus idēmque secun-  
 dum humanam substantiam: Absens cœlo, cùm esset  
 in terra, & derelinquens terram, cùm ascendisset in cœ-  
 lum, secundum diuinam verò, immensāmque substan-  
 tiam nec cœlum dimittens, cùm de cœlo descendit;  
 nec terram deserens, cùm ad cœlum ascendit. Et post  
 pauca: Quomodo autem ascendit in cœlum, nisi quia  
 localis & verus est homo? Aut quomodo adest fidelis-  
 bus suis, nisi quia idem immensus est, & verus Deus?  
 Et lib. 3 ad Thrasymundum: Idem atque inseparabi-  
 lis Christus secundum solam carnem de sepulchro sur-  
 rexit: Idem atque inseparabilis Christus secundum  
 totum hominem, quem accepit, terram localiter de-  
 serens ad cœlum ascendit, & in dexteris Dei sedet; se-  
 cundum eundem totum hominem venturus ad iudi-  
 candum viuos & mortuos, coronatus fideles & pios.  
 Vigilius Martyr lib. 4. Quando caro Christi in terra fu-  
 it, non erat vtique in cœlo: & nunc, quia in cœlo est,  
 non est vtique in terra. Et in tantum non est, vt secun-  
 dum ipsam Christum speremus venturum de cœlo,

quem secundum verbum nobiscum credimus esse in terra. Hæc est fides & confessio catholica, quam Apostoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, & fideles nunc usque custodiunt. Sed dixerit fortasse quispiam: Si hæc doctrina de ascensione Christi in cœlum vera est, quid de præsentia eiusdem Domini in Cœna mystica existimandum est? De hac obiectione respondet Augustinus tract. 50 in Iohann. Quomodo in cœlum manum mittam, ut ibi sedentem teneam? Fidem mitte, & tenuisti. Parentes tui tenuerunt carne, tu tene corde, quoniam Christus absens etiam præsens est: nisi enim præsens esset, à nobis ipsis teneri non posset: sed quoniam verum est, quod ait: Ecce ego vobis sum usque ad consummationem seculi: & abiit, & hic est; & rediit, & nos non deseruit. Corpus enim suum intulit cœlo, maiestatem non abstulit mundo. Et Ambrosius epist. 3. de eadem obiectione respondēs, inquit: Præsentior est, qui se animis inserit, quam qui oculis protestatur. Plus enim est, mente connecti, quam corpore copulari. Hęc de priori argumento, quod ab impossibili non philosophico sed theologico sumitur; breuiter dixisse satis sit. Offero enim me ad longiorem confirmationem huius verissime, æternæ & immotæ doctrinæ, quoties à me postulabitur. Sequitur alterum argumentum ab inutili. Sic enim Christus, qui est non modò verax Doctor, sed etiam veritas ipsa, in cap. 6 Iohannis inquit: Caro non prodet quidquam; Spiritus est, qui viuificat: Verba quæ locutus sum vobis, sunt spiritus & vita. Hic manifestum est, Dominum loqui non de sua carne, quæ certè non inutilis est ad viuificantum: (viuificant enim nostram naturam partim merito, partim quia λόγω copulata est; de quo Iohannes ait: In ipso vita erat, & vita erat lux)

I. 1.  
Inutil.

Jux hominū) sed de carnali imaginatione, quæ somniat corpus Christi corporaliter, seu ore corporeo siue cras-  
fo, siue subtili modo manducari. Ac ne quis arbitretur, me narrare mea somnia & vim afferre verbis Christi, va-  
tar testimonio Athanasij, qui enarrans dictum illud Eu-  
angelicū: Quicunq; dixerit verbum &c, ad eandē senten-  
tiam, quam recitaui, concionē Christi accommodat. Isti-  
usmodi characterē etiam in Iohannis Euangēlio vide,  
vbi de esu corporis disputans, ac propterea multos scā-  
dalizatos cōspiciens, ita loquutus est: Hoccine vos scan-  
dalizat? Quid si igitur Filiū hominis spectaueritis ascen-  
dē, vbi prius erat? Spiritus est, qui vivificat: Caro nō  
prodest quidquam, verba quæ ego locutus sum vobis,  
spiritus sunt & vita. Hīc enim de vtrōq; carne & spiritu  
suo locutus est, & spiritū à carne discriminauit, vt non  
solum in eo quod oculis apparebat; sed naturam quoq;  
inuisibilē credentes, disceremus ea, quæ loqueretur, nō  
carnalia esse, sed spiritualia. Quot enim hominibus cor-  
pus eius sufficiisset ad cibum, vt vniuersi mundi alimo-  
nia fieret. Sed propterea ascensionis suę in cœlum men-  
tionem fecit, vt eos à corporali intellectu abstraheret,  
ac deinde carnem suam, de qua locutus erat, cibum è  
supernis coelestem & spiritualem alimogiam & ab ipso  
donandam intelligerent. Quæ enim locutus sum vo-  
bis, inquit, Spiritus est & vita, quod perinde est, ac si di-  
ceret: Corpus meum quod ostēditur & datur pro Mun-  
do, in cibū dabitur, vt spiritualiter vnicuīq; tribuatur,  
& fiat singulis tutamen præseruatiōq; ad resurrectionē  
vitæ æternæ. Ita quoq; Samaritanā abstrahens Domin⁹  
à rebus sensibilibus, Deum esse spiritū pronunciauit, vt  
deinceps illa non corporalia, sed spiritualia de Deo co-  
gitaret. Haec tenus Athanasius, cuius symbolum omnes

pij constanter amplectuntur. Spero ex his, quæ com-  
 memorauit, vtrumq; perspicuum esse: & Christum sa-  
 pientissimum architectum non instaurasse in institu-  
 tione Cœnæ mysticæ, quod apud Iohannem tot & tan-  
 tis argumentis destruxit; & frustra queri necessariam &  
 salutarem consolationem in eo, quod ipsa veritas affir-  
 mat partim impossibile, partim inutile esse. Quomo-  
 brem humanos errores & mendacia relinquamus, & in  
 veritate Dei maneamus. Si enim solus Christus audi-  
 endus est, vt præclarè scripsit Cyprianus lib. 2. epist. 3.  
 Non debemus attendere, quid aliquis ante nos facien-  
 dum putarit: sed quid qui ante omnes est Christus pri-  
 or fecerit. Non enim hominis consuetudinem sequi  
 oportet, sed Dei veritatem. Quod vero à quibusdam ap-  
 dicitur, in spirituali mandatione nobis tantum ap-  
 plicari effectum corporis & sanguinis Christi: id iure ac  
 meritò vanitatis condemnatur. Nam Christus Ioh. 6  
 non tantum concionatur de merito, aut de efficacia;  
 sed de ipsa substantia carnis suæ: Panis quem ego da-  
 bo caro mea est, quam egodabo pro mundi vita. Item:  
 qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem,  
 manet in me, & ego in eo. Scimus autem & piè credi-  
 mus, non aliam carnem pro nobis traditam esse, quam  
 assumtam ex Virgine, & unitam λόγῳ. Deinde ma-  
 nifestum est: Fide non solum apprehendi meritum  
 & efficaciam Christi: sed etiam ipsam personam, à qua  
 nunquam separari aut possunt, aut debent meritum &  
 efficacia. Vtrumque enim est totius personæ. Ut  
 enim tota persona nobis meruit beneficia, quæ in Eu-  
 angelio promittuntur creditibus: sic eadem perso-  
 na est in suis membris efficax. Est igitur vanissimum  
 somnium, fingere applicationem meriti aut efficaciz  
sinc.

fine apprehensione personæ Christi. Porrò quod ad τὸ  
 ἥττον attinet, non reijcio verba Christi: sed quæro in ver-  
 bis natuam sententiam, analogam reliquis concioni-  
 bus Christi, & consentaneam corpori doctrinæ. Non e-  
 nim in sono consistit veritas, vt in quadam epistola Na-  
 ziæzenus scripsit: sed multò magis in sententia. Est &  
 illa Augustini in epistola 7 præclara sententia de ijs,  
 qui stolidè vrgent τὸ πῆπον contradicentis mentem. Si  
 manifestissimæ certæq; rationi velut scripturarum san-  
 ctarum obijcitur autoritas, non intelligit qui hoc facit,  
 & non scripturarum illarum sensum, ad quem penetra-  
 re non potuit; sed suum potius obijcit veritati: nec  
 quod in eis, sed quod in seipso velut pro eis inuenit, op-  
 ponit. Habet non Laconicam, sed benè longam episto-  
 lam de corporali manducatione corporis Christi, quā  
 ita accipies, vt persuasum habeas, me veritatem omni-  
 bus rebus humanis anteponere, quod si tu quoq; feceris:  
 haud dubiè in vita æterna, mihi tanquam fideli moni-  
 tori gratias ages. Sin autem voles pro te impossibili, &  
 prorsus inutili deinceps dimicare, eâq; in resequi alios  
 duces; ego illud Apostolicum usurpabo: Nos mundi su-  
 mus. Benè vale, & veritatem ante oculos propositam  
 amplectere. Non enim video, quid præter inanes & pu-  
 tridas cauillationes verius quam argumenta deinceps  
 obstatere possit, quò minus in vera & salutari sententia tu-  
 tò conquiescas. Ambergæ, die 5. Maij, quo Filius Dei, i-  
 démq; filius hominis, spectante magno coetu suorum  
 discipulorum, ex hoc mundo inferiori in locum cœle-  
 stem ascendit, vnde venturus est, & non aliundè, vt con-  
 spiciatur in nubibus, & se se palam ostendat toti generi  
 humano: hostibus quidem suis ad æternas poenas: pijs  
 verò ad vitam æternam, cuius hic ipse Dominus nos

participes faciet, si lucem magis amabimus, quam tenebras: & veritatem inueteratis erroribus anteponemus.  
Anno Christi 1567.

T. Victorinus St.

Venerando viro N.N. amico suo  
S. D.

Epistola 3.



Vm multi hoc tempore pro manducatione Iudæ proditoris & aliorum impiorum acer-  
timè, tanquam pro aris & focis dimicent bre-  
uiter ad te scribam, quid de incredulis acce-  
dentibus ad cœnam Domini existimandum sit. Nam in  
bona causa, vt ait Pindarus, tria verba sufficiunt. Omis-  
sis igitur non necessarijs ambagibus, disertè affirmo: Iu-  
dam & omnes incredulos sine exceptione non fieri pa-  
ticipes corporis & sanguinis Domini. Huius constantis  
& perspicuæ assuerationis immota confirmatio sumi-  
tur ex verbis Pauli 1. Cor. 10: Non potestis calicem Do-  
mini bibere, & calicem Dæmoniorum. Cognita autem  
impossibilitate, rei cienda sunt impossibilia, sublata o-  
mni dubitatione. Cur igitur pugnant aliqui tanta ani-  
morum contentione pro re impossibili? cù m quidem  
impossibilia non veniant in deliberationem. Vt autem  
hæc confirmatio aculeos in animis relinquat, diligen-  
ter expendantur pondera verborum in concione Pa-  
llina 2. Corinth. 6: Quod est consortium iustitiae cum  
iniustitia? aut quæ communio luci cum tenebris? aut  
quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ pars fideli-  
cum infideli? aut quid conuenit templo Dei cum simu-  
lacris? Iam vero constat incredulos seu infideles esse ple-  
nos.

Nos iniustiæ & tenebrarum. Quare non possunt habere consortium & communionem cum Christo , qui est iustitia & lux. Si enim dixerimus , quod societatem habemus cum eo , & in tenebris ambulamus , mentimur & veritatem non facimus , vt i. Iohann. i expressè scribitur . Et quoniam increduli sunt mancipia Satanæ , & templa eiusdem spiritus , nihil absurdius dici aut cogitari potest , quam hōesse participes corporis & sanguinis Domini . Non enim conueniunt , nec in vna sede morantur hostes , qui inter se bellum implacabile gerunt , & quorum vnu s , qui potentior est , pellit alterum imbecillorem . Secunda confirmatio extat in cap. io prioris ad Cor. Vnum corpus sumus , quotquot de vno pane participamus . Certum est autem incredulos seu infideles non esse membra huius corporis , vt i. Ioh. i dicitur . Si in luce ambulamus sicut ipse est in luce , societatem habemus inter nos mutuam . Quanquam enim hypocritæ & mali sunt socij Ecclesiæ secundum externos ritus : tam rerum ignari , manibus , vmbbris & imaginibus gaudent & delectantur . Cūm igitur nec capiti Christo , nec viuo corpori Christo , quod est communio sanctorum cohæreāt ; nequaquam imaginandum est , tales esse *corporis & sanguinis Christi* . Tertia confirmatio recitatūr à Paulo i. Corinth. ii: Qui edit hunc panem , aut bibit calicem Domini indignè ; reus erit corporis & sanguinis Domini : Item , Qui edit & bibit indignè , iudicium sibi manducat , non dijudicans corpus Domini . Hæc verba Pauli perspicue docent , incredulos non fieri participes ; sed reos corporis Christi : quia non discernunt hunc sacrum cibum à prophano , non afferunt fidem , nec statuunt hunc cibum institutum esse , vt coniungat nos cum Christo vera & iuifica consociatione .

Quarta confirmatio. Christus dicit : Hoc facite ad recordationē mei ; & loquitur de recordatione fideli, non de hypocritica. Non enim vult tantūm historię memoriam conseruari, sed vult ad vsum Sacramēti afferri fidem, applicātem nobis ipsius beneficia, inter quæ non minimum est nouawia corporis & sanguinis. Quis autem ignorat incredulos fidei expertes & vacuos esse? Quinta. Sicut Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti : ita res, quæ cum signis exhibentur, ad solos credentes pertinēt. Nam signorum accessione non mutat rerum perceptionem. Quare si quis ad vsum Sacramentorum accedit sine fide, non res, sed signa tantū percipit, vt Rom 2 de circumcisione dicitur: Circumcisio prodest, si legem obserues : si autem violaueris legem, circumcisio tua præputium facta est. Etsi enim fides non facit Sacramentum, tamen sicut promissio Euangeli⁹ nobis non est salutaris, nisi fide accipiatur. Ita Sacramentum sine fide qua beneficia Christi accipiuntur, respectu vtentis otiosa ceremonia est. Sic de Baptismo Hieronymus Ezech. 16 inquit : In Ecclesia qui non plena fide accipiunt baptismum, non Spiritum sed aquam suscipiunt. De vſu verò cœnae Dominicæ perpetua memoria digna est sententia Prosperi 339. Eſcam vitæ accepit & poculum vitæ babit, qui in Christo manet, & cuius Christus habitator est. Nam qui discordat à Christo nec carnē eius manducat, nec sanguinem præsumptionis quotidie indifferēter accipiat. His quinque perspicuis & immotis confirmationibus sumtis ex verbo Dei adiungantur dicta piæ vetustatis. Cyprian⁹ in sermone de Cœna: Sacraenta quidem, quantum in se est, sine propria virtute esse non possunt, nec vlo modo diuina se absentat Maiestas mysterij, sed quævis ab indi-

gnis se sumi vel contingi Sacra menta permittant. Non possunt tamen Spiritus esse participes, quorum infidelitas vel indignitas tantæ sanctitati contradicit. Itaq; alijs sunt hæc munera odor vitæ in vitam , alijs odor mortis in mortem: quia omnino iustum est, vt tanto ptuentur beneficio gratiæ contëptores, nec in indignis tanta gratiæ puritas sibi faciat mansionem. Augustinus tractatu 26 in Iohann. Sacramentum de mensa Domini sumitur quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Res verò ipsa cuius Sacramentum est omni homini ad vitam, nulli ad exitium , quicunque eius particeps fuerit. Idem tractatu 59 in Iohan. Illi manducabat panem Dominum: Ille (Iudas) panem Domini contra Dominum: illi vitam, ille poenam. Idem li. 21 de Ciuitate Dei, cap. 25. Non dicendum est eum manducare corpus Christi, qui in corpore non est Christi. Item, Nec isti ergo dicendi sunt manducare corpus Christi, quoniam nec in membris computandi sunt Christi. Ut enim alia taceam, non possunt simul esse & membra Christi, & membra meretricis. Deniq; ipse dicens: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meū, in me manet, & ego in eo; ostendit quid sit non Sacramentum tenus, sed reuera corpus Christi manducare, aut eius sanguinem bibere. Hoc est enim in Christo manere, vt in illo maneat & Christus. Sic enim hoc dixit, tanquam diceret: Qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non se dicat aut existimet manducare corpus meum, & bibere meum sanguinem. Non itaque manent in Christo, qui non sunt membra eius. Non sunt autem membra Christi, qui se faciunt membra meretricis; nisi malum illud poenitendo esse destiterint, & ad hoc bonum reconciliacione redierint. Ambrosius lib. 10. epist. 82. Cùm Iu-

das panem à Christo accepisset, immisit se in cor eius  
 Diabolus, quasi possessionem suam vēdicans, quasi por-  
 tionis suæ ius retinens, quasi dicens: Non est tuus iste, sed  
 meus: meus certè minister, tuus proditor: meus planè  
 iste est: Deniq; tecum recumbit, & mihi seruit: Tecum  
 epulatur, & mecum pascitur: A te panem accepit, à me  
 pecuniam: Tecum bibit, & mihi tuum sanguinem ven-  
 dit. Summa igitur conclusionis hæc est: Quemadmodū  
 Deus colligit Ecclesiam ministerio Euangelij & Sacra-  
 mentorū, & non aliter: Ita fides est virtus apprehendens  
 & applicans res in Euangelio & in Sacramentis oblatas:  
 videlicet, Christum & omnia eius beneficia. Quamob-  
 rem errant non solum Enthusiaſtæ veteres & recentes,  
 qui homines à ministerio abducunt, & iubent expectari  
 afflatus: Sed etiam nostra ætate multi qui negant, sola  
 fide nos fieri participes Christi & omnium eius bonorū.  
 Sicut enim Enthusiaſtæ amittunt certam doctrinam, &  
 firmam consolationem, & destituuntur exercitijs fidei;  
 quia fides ex auditu, auditus per verbum: ita negantes  
 sola fide Christum & omnia eius bona ad nos transferri,  
 aut certè nobiscum communicari, à summo fidei arti-  
 culo aberrant, & sculpunt sibi organa apprehensionis  
 contra ordinationem Dei. Non est enim aliud nomen  
 sub cœlo datum hominib. in quo oporteat saluos fieri,  
 nisi nomen Iesu Christi: Ita non est aliud organon à  
 Deo ordinatum, ad apprehensionem Christi & benefi-  
 ciorum eius, nisi fides. Nam credere in Christum, hoc  
 est videre, hoc est audire, hoc est odorari, hoc est gusta-  
 re, hoc est contrectare eum, vt Vigilius lib. 4 verissimè  
 dixit. Hæc satis sit breuiter de mandatione indigne-  
 rum dixisse. Si quid autem in hac breuitate desiderabis,  
 offero

23

offerro me ad longiorē declarationem. Benē vale,  
die iunij: Anno Christi 1567.

*Victorinus Strigelius.*

*Ad N. N. publicum professorem in Academia veteri urbis Erfurden sis.*

 Rnatisime & doctissime vir, amice colende; Epist. IIII.  
Magnam tibi gratiam habeo, pro candido iu-  
dicio de meis studijs & laboribus. Etsi enim,  
sine simulatione agnosco maciem & squalo-  
rem meorū scriptorum: tamen fateor, me tuo iudicio  
delectari. Utinam verò omnes docti eodem candore iu-  
dicarent de alienis laboribus, qui nemini nocēt, aliqui-  
bus prosunt: Quod si fieret, haud dubiè magis florerent  
literas, & plures incitarētur ad benē merendum de Re-  
pub. literaria. Maiores verò tibi gratias ago pro frater-  
na admonitione, qua me conaris ab errore in viam veri-  
tatis reuocare. Hoc tuum officium, si aliter quām par-  
est interpretarer, appellatione hominis Christiani indi-  
gnus essem: Sed tamen quod res est breuiter tibi expo-  
nam, & vt responsionem meam placidè accipias ma-  
gnopere oro. Semper docui & doceo, coenam mysti-  
cam differre à cibo physico, & symbola quæ in hac Cœ-  
na distribuūtur, nō esse nuda signa, sed pignora & sigilla  
*κοινωνίας* corporis & sanguinis Christi omnibus & singu-  
lis credentibus, qui fide meritum mortis Christi sibi  
applicant, & consociantur cum corpore Christi, & in  
quibus Christus per fidem habitans efficax est, dato Spi-  
ritu sancto. Hanc applicationem meritorum Christi, &  
consociationem cum corpore Christi, & efficaciam in-  
credentibus sine vlla dubitatione nominat Paul⁹ *κοινω-*

nia corporis & sanguinis Christi, vt testatur Irenæus &  
 synodus Nycæna. Semper docui & doceo rei ciendam  
 esse transsubstantiationem, inclusionem localem, cir-  
 cūgestationem, repositionem, adorationem panis, &  
 quæ sunt eiusdem generis, de quibus nulla est apud recte  
 institutos controversia. Nunquam approbaui recens  
 cōmentum de vbiuitate corporis Christi, quod toti Ec-  
 clesiæ multis sæculis signatum fuit. Et quoniam firmis-  
 simè statuo, hanc Coenam institutam esse, vt credentes  
 sint vnum cum Christo per fidē, & vnum inter se per di-  
 lectionem; nihil dubitans affirmo, incredulos non fieri  
 nolam, sed reos corporis & sanguinis Christi. Si quida-  
 tem in his sententijs ppter breuitatē obscurius dictum  
 videtur, offero me ad longiorem declarationem. Oro  
 etiam te per nostram amicitiam, vt ingenuè & aperte  
 mihi significes, quid erroris hærere videatur in hac do-  
 ctrina, quam simpliciter ad umbraui. Neq; enim melius  
 de me poteris mereri, quā si mihi fontem erroris digi-  
 to saltem monstraueris. Quod verò me amanter &  
 comiter mones, ne sequar vel rationem, vel physica ar-  
 gumenta, vel Patrum autoritatem, de eo breuiter tibi  
 respondebo. Ego in dogmatum controversijs nec ratio-  
 nem sine luce verbi diuini, nec Philosophiam, nec ho-  
 minum iudicia in consilium adhibeo, sed sequor lucer-  
 nam direstricem pedum in tenebris, de qua Propheta  
 inquit: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen  
 semitis meis. Et Petrus in Epist. 2. Benefacitis, attenden-  
 tes Prophetico sermone, tanquam lucernæ lucenti in  
 loco caliginoso. Vt autem rem cum iudicio discernam  
 & pro rerum natura, quæ in sacris literis scribuntur, vo-  
 cabula accipiam, sine intellectus confusione: refero  
 mentē & oculos non ad Cynosuram, aut ad clarissimos  
 Septen-

Septentriones: sed ad analogiam fidei, siue ad totum corpus doctrinæ Christianæ, cuius summa breuiter in symbolis recitata est; ac diligenter caueo, ne recipiam pugnantia cum articulis fidei: cum omnis implicatio contradictionis sit horribile mendacium, nec in Deo sunt contradictoriæ voluntates. Postquam autem hac certissima & minimè fallenti norma vsus sum, non contemno veteris & purioris Ecclesiæ confessionem. Etsi enim fides mea in solo verbo Dei rectè intellecto acquiescit: tamen non parvum confirmor, videns habere me Ecclesiam ὁμόψη-  
Φον καὶ ὁμόπονδον, nec me recentes opiniones odio vel amore eorum hominum, qui nunc viuunt, amplecti. Hanc methodum si tu quoque usurpabis, haud dubiè de toto negocio rectius iudicare poteris. Ac vt tu pio studio precaris, vt Deus meam mentem luce veritatis illustret: Sic ego vicissim vota facio, vt sine præjudicio & sine affectu impediente iudicium, statuere possis. Hæc breuiter & simpliciter de tua epistola amanter scripta respondere volui, vt intellegeres nos amicitia coniunctos fore, etiam si aliqua fortassè dissimilitudo sit iudiciorum de con-  
trouersijs, quæ nunc agitantur. Benè  
vale, vir doctissime, & si meamas,  
primo quoque tempore rescri-  
be. Heidelb. 20 April.  
Anno 1568.

*Tuus ex animo  
Victorinus Strigelius.*

*Ad eundem.*

Epist. V.



Rnatissime & doctissime vir, amice charissime: cùm videam te nō abhorrere à placida collatione sententiarū de ijs controuersijs, quæ nunc in Ecclesia agitantur, breuiter & candidè de tua epistola respondebo. Miror autem te im probare meam de coena Domini sententiam, cùm ipse quoque in tuis literis fatearis, fide & nulla re alia Christum & eius beneficia nobis applicari. Hanc hypothesisin aeternam & immotam si firmiter amplecteris; haud sanè intelligo, cur vel meam doctrinam improbes, vel tantoperè pro incredulis dimicces. Si enim sola & vnica fide fit applicatio Christi & omnium eius bonorum, manifestæ contradictioni te ipsum implicas, cùm scribis: Verbum DEI vbiique communicat Christi beneficia omnibus qui sese cœtui visibili, qui Ecclesia vocatur, adiungunt, & professione consentiunt, quamvis multi intersint hypocritæ, &c. Hæc ἀντίλογία non potest conciliari, nec si Carneadem ipsum Orcus remittat. Sed ad reliqua membra epistolæ tuæ accedo. Hortaris te ipsum & alios ad amorem simplicitatis, & omnipotentiam ac veritatem Christi predicas. Non ignoro Christum præcipere, vt simus prudētes sicut serpentes: sed Idem præcipit, vt simus simplices sicut columbae. Multum enim inter se distant, longeq; disiunctæ sunt simplicitas Christiana, & stoliditas asinina. Memini etiam Pauli dictum: Verbum Dei abundet inter vos cum omni sapientia. Opponiuit autem sapientia stoliditati & sophisticæ. Idem iubet nos attendere lectioni: & pueros esse non intellectu, sed militia.

litia. Quare nullæ sunt occultiores insidiæ, quām hæ,  
 quæ latent in simplicitatis nomine. De veritate & om-  
 nipotentia Christi nulla est inter pios quæstio: Omnes  
 enim uno consensu tribuunt Christo Domino laudem  
 veritatis & omnipotentiae. Sed non minùs verax est  
 in sermone figurato, quām in proprio. Deinde non  
 tantum quid possit, sed quid velit hic Dominus con-  
 siderandum est: Omnia enim quæcunque vult, effi-  
 cere potest. Nulla porrò controversia est inter pios  
 de præsentia Christi in Coena. Sed longè aliud est,  
 dicere Christum esse in pane. Non enim adest Chri-  
 stus propter panem: sed propter credentem. Quod ve-  
 rò addis in tua epistola; *nouavia* signum esse ipsum  
 Christi corpus: id nouum est, & in Ecclesia Christi  
 inauditum. Si enim corpus Christi esset signum,  
 necessariò in oculos aut reliquos sensus occurreret,  
 iuxta notam & vstatam signi definitionem. Si igi-  
 tur amas veritatem, corrige hanc loquendi formam,  
 quæ non paruam rerum confusionem parit. Non su-  
 momihi apud te docentis personam: sed monitoris vi-  
 ce fungor. Quare intelligenti & docili satis dictum est.  
 Postrema pars epistolæ tuæ acerrimè contendit, incre-  
 dulos fieri participes Christi seu corporis & sanguinis  
 Christi, & conatur ex reatu efficere *nouavia*. Sed huic  
 fulmini non à Ioue edito, oppono fulmina Pauli ex  
 vtraque epistola ad Corinth: Non potestis poculum  
 Domini bibere, & poculum Dæmoniorum. Non  
 potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæ-  
 moniorum. Item, Quæ communio lucis cum tenebris?  
 aut quæ concordia Christi cum Belial? aut quæ pars  
 fideli cum in fideli? Obiect autem hoc loco aliquis:  
 Increduli substantiam percipiunt sine efficacia. Qua-

si verò hæc duo in speciali præsentia separari possint: cùm in generali præsentia disiungi nequeant, vt in per-  
uulgato versiculo dicitur: Enter, præsenter Deus est  
& ubique potenter. Omitto extremam clausulam  
epistolæ tuæ, in qua metuis diuulsionem duarum  
naturarum in Christo, & asseris hunc totum esse in  
Cœna. Non enim soluitur unio hypostatica, cùm  
naturarum proprietates piè considerantur. Hæc ferè  
sunt, quæ de tuis literis amanter & candidè respon-  
dere volui. Tu si videbitur, rescribes, vt appareat  
nos amicitia coniunctos manere, etiam si sententias  
sint dissimiles de quibusdam controuersijs. Benè vale.  
Heidelb. 8 Septemb. Anno 1568.

*Tuus ex animo amicus  
Victorinus Strigelius*

*Alia epistola ad Iacobum Feilicerum  
Ecclesia Rauenspurg. ministrum*

S. D.  
Epist. 7.



Enerande & doctissime vir, amice vetus &  
charissime, laudo ingenuitatem, qua te in v-  
tramq; partem ita aperis, vt nec tuam confel-  
sionem occultes, nec dissimiles quid in ami-  
co desiderandum videatur. Hæc *πρόσωπο* mihi magis  
placet, quam omnes blanditiæ assentatorum. Nam ora-  
tio amici est simplex: adulatoriis verò fucata est. Cupio  
igitur tibi persuasum esse, me mirificam voluptatem ex-  
tua epistola cepisse, teq; oro, vt semper eodem modo ad  
me scribas, cùm nec limis oculis aspicere quenq; ipse so-  
leam, nec ab alijs obliquo vultu aspici velim. Quod ve-  
tò ad-

rò ad tuam confessionem attinet, fateor ipse quoq; pa-  
 nem Eucharisticum esse corpus Christi, sicut inquit  
 Dominus: Hoc est corpus meum; sed intelligo hæc ver-  
 ba de subiecta materia. Cùm enim Christus instituat Sa-  
 cramentum, vtitur phrasí Sacramentali, qua appellatio  
 rei tribuitur signo, ppter duas causas: primùm propter  
 ἀναλογίαν signi ad rem signatam: deinde propter relati-  
 uam copulationem signi & signati in vero vsu, ad quem  
 tria requiruntur: Ritus conueniens ordinationi diui-  
 næ, finis legitimus & fides personæ vtentis. Quòd  
 si hoc sensu accipis verba Christi de pane & de calice,  
 seu de vino in calice, vnum sumus in Christo. Si  
 autem sentis, panem esse ipsum corpus essentialie pro-  
 nobis traditum; fateor ingenuè, non congruere nostras  
 sententias. Cæterū in argumēto quod ex meis an-  
 notatis repetiūisti, nego minorem simpliciter. Si  
 cut enim nulla est contradic̄tio inter has duas propo-  
 sitiones: Circumcisio est foedus seu pactum: Cir-  
 cumcisio est signum foederis: Ita inter has duas ve-  
 ra dissonantia nulla est; sed altera declarat alteram:  
 Panis Eucharisticus est corpus Christi: Item, Pa-  
 nis est signum seu symbolum corporis Christi. Hanc  
 interpretationem non didici, neque ex Zwinglij, ne-  
 que ex Caluini libris, quos nec habeo in mea biblio-  
 theca, nec legi: Sed ex Græca & Latina vetustate,  
 quæ Papatum antecessit: ac iudico eam congruere  
 cum vniuersa Scriptura, cum doctrina de Sacra-  
 mentis, cum tribus symbolis, Apostolico, Nicæno & Atha-  
 nasiano. Sed longiorem disputationem de his &  
 alijs rebus tunc instituam, cùm mihi plura scribendi  
 occasionem in proxima epistola tua præbueris. Spe-  
 ro enim te fore docilem, nec imitaturum eos, qui cla-  
 rissimum

rissimum Solem sanis ac patentibus oculis negant se  
videre. Venio nunc ad tuas res. Doleo honestam ma-  
tronam, coniugem tuam morbo immedicabilis tot  
menses conflictari, nec quidquam ferè spei humanæ  
reliquum esse. Cùm autem volueris à me scribi epi-  
stolam consolatoriam, gessi tibi morem, & Deum  
precor, vt per has & similes consolationes in pectori  
charissimo animulæ tuae efficax esse velit. Benè vale,  
venerande vir, & quamuis disiunctus sententia, tamen  
mane coniunctus amicitia. Ego enim profectò nemini  
nem à veritate dissentientem odi: sed potius caligi-  
nem mentis humanæ deploro, quæ non dissimilis est  
vespertilionibus ad lucem conuersis meridianam.  
Heidelb. Anno Christi 1568, die Iohannis Baptista  
qui monstrauit Ecclesiæ agnum tollentem peccata  
mundi.

*Tuus ex animo  
Victorinus Strigelius.*

*Alia adeundem.*

Epist. VII.

**R**estè facis, venerande vir, amice charissime:  
quod, quamuis disiunctus sententia, tamen  
manes coniunctus amicitia. Lætor etiam  
coniugem tuam tibi & liberis tuis aliquo-  
modo restitutam esse, & Deum precor, vt deinceps  
etiam tuas & nostras ærumnas leniat. Ego quidem  
animum meum erga te non mutabo, etiam si tu perse-  
ueres in tua opinione. Vteris autem ad confirman-  
dam tuam opinionem duobus argumentis; quorum  
prius à discrimine Sacramenti & Testamenti: alterum  
à ponde-

37

apondere verborum Christi ducitur. Prioris argumenti summa hæc est: Testatores in formula Testamenti solent propriè loqui. Cœna Domini est Testamentum. Ergo Christus in institutione Cœnæ propriè loquutus est. Primum de maiore respondeo, per instantiam. David & Samuelis 23 in nouissimis verbis, quæ Doctor Lutherus piæ memorie nominat Testamentum huius Regis & Prophetæ, multis vtitur figuris dulcissimis & venustissimis. Quare axioma illud, quod tu in loco maioris reponis, multis fulcris indiget. Deinde si quis neget minorem, non video quomodo eam probare possis. Sicut enim vetus Testamentum seu foedus seu pactum, quæ omnia idem significant, non est aliud nisi promissio certæ sedis cum obligatione ad seruandā Legem. Sic nouum Testamentum sine vlla dubitatione est promissio remissionis peccatorum, Sp. sancti & vitæ aeternæ, cum obligatione ad credendum. Huius Testamenti pignus & testimonium est cœna Domini, sicut circumcisio fuit sigillum iustitiae fidei. Sed dixerit fortasse quispiam; Christus de calice loquens inquit: Hic calix est nouum Testamentum in meo sanguine: Ergo actio Cœnæ est testamentum. Huius argumenti prompta & facilis est solutio. Si quis verba de calice sine tropo intelligit, is pertinacem stultitiam prodit. Non n. calix, sed id quod est in calice, appellatur Testamentum. Deinde ut continens pro contento accipias; tamen quæri potest, quo sensu appellatio Testamenti tribuatur vi. no. Si quis enim contendit vinum propriè loquendo esse Testamentum, vehementer errat. Agnosciis igitur geminum tropum in verbis Christi de altera parte Cœnæ: cūmque eadē sit ratio interpretationis de pane, miror cur p̄prietatem verborum tantoperē vrgeas. De altero argumento

argumento breuiter responderi potest: Identicam prædicationem, à Paulo Apostolo, à sanctis patribus & ab ipso Luthero reiectam esse. Nam Paulus non vocat panem corpus essentiale Christi: sed *κοινωνίαν* corporis. Deinde Tertul. in lib. 4 contra Marcionem, ut aliorum Patrum testimonia breuitatis causa omittam, dicit inquit: Si panis est ipsum corpus Christi, panis pro nobis in cruce traditus est. Postremò Vuitebergæ viuo Luthero semper improbata est identica prædicatio: id quod docere possum multorum virorum fide dignorum testimonij, qui adhuc hodiè superstites sunt. Imò Hesshusius ipse cū anno 1560 paulò ante disputationē Vinariensem in patria tua à me interrogaretur, quid existimaret de Gallo Ratisponense, qui stolidè vrget: Identicam prædicationem, ingenuè testatus est, se eam improbare. Sed omissa longiore disputatione, illud inter omnes sanos constat, τὸ πντὸν non esse vrgendum contra analogiam fidei: & pauciora intelligenda esse secundūm plura. Quomodo autem τὸ πντὸν sine διανόη cum analogia fidei, & cum vniuersa Scriptura congruat tuum erit cogitare. Ac si cognouero te esse docilem, & pias admonitiones minimè aspernari, libēter deinceps tecum de multis rebus ad hanc *πράγματειαν* pertinentibus per literas colloquar. Sin autem hoc genus scriptionis tibi molestum esse sensero, parcam mihi & tibi, & tandem te in numero amicorum charissimorum habebo. Salutat te & coniugem tuam, coniunx mea & tota familia. Benè vale Iacobe charissime, & me, quod facis, am. Heidelb. Anno 1568. die 20 Septemb.

*Tuus ex animo amicus  
Victorinus Strigelius.*

*Alia ad eundem.*

S. D.

Epist. 18.

**V**enerande & doctissime vir, amice charissime, miror te intra annos quatuordecim, quib. munere docendi in Ecclesia functus es non didicisse regulam de contradictione: Quòd videlicet omnis implicatio contradictionis sit horribile mendacium. Iam verò constat τὸ πῆγμα verborum Coenæ sine tropo intellectum, pugnare cum natuua sententia duorum articulorum symboli; quorum alter docet pias mentes de proprietatibus duarum naturarū inconfusis: alter de locali ascensione corporis Christi in cœlum. Ergo, nullam admittens διάγονα in verbis Coenæ, sed stolidè vrgens verba non intellecta, implicat seipsum manifestæ contradictioni, & per consequens vel sciens vel ignorans mentitur. Minorem humani syllogismi sic probo: Tota pia vetustas sic declarauit propositionem: Verbum caro factum est; quòd copulatio, seu vnio inseparabilis & indiuisa non tollat aut mutet, sed potius conseruet naturarum proprietates, sicut verba symboli Chalcedonensis expressæ testantur, & Athanasius in symbolo: Vnus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Est autem solius infinitæ naturæ proprium, esse vel ybique, vel in multis locis simul. Quare hæc p̄prietas humanæ naturæ Christi, quæ sine vlla dubitatione finita est & circumscripta, nullo modo tribui aut debet aut potest, siue ante, siue post glorificationem. Nam glorificatio non est mutationis substantiæ aut cōfusio naturarum: sed mutatio qualitatis, vt Theodoretus ex verbo Dei, & ex pijs Patrib. in tribus Dialogis euidentissimè demonstrat. Quod ad alterum

alterum caput symboli attinet ; certum est , ascensio  
nem de locali ascensione corporis Christi intelligen-  
dam esse , vt non solùm vniuersa Scriptura : sed etiam  
consensus piæ vetustatis clarissimè ostendit . Quod ve-  
rò obijcis de tempore : Quando prima Cœna instituta  
fuit , Christus in cœlum nondum ascendit : id quale sit,  
me tacente intelligis . Nihil enim iustituit Christus pu-  
gnans cum Propheticis prædictionib. de ascensione , e-  
tiamsi ordine temporis ascensio institutionem Cœna  
secuta est . Quæ cùm ita sint , magnoperè te oro & ob-  
testor , vt propter gloriam Dei & propter tuam & au-  
ditorum salutem diligenter consideres duo capita in  
symbolo , de quibus vt in epistola , longiore oratio-  
ne non vtar . Sæpè etiam declamitas de præsentia in  
Cœna , quam nemo sanus vñquam negauit . Aliud est  
autem præsentia corporis in pane , aliud præsentia eiuf-  
dem in Cœna .. Nam Cœna est tota actio à Christo insti-  
tuta , ad quam plura requiruntur quām panis Eucha-  
sticus . Vide igitur , qua de re pugnes : & cum quo ad-  
uersario dimices . De Luthero semper sensi quod adhuc  
sentio : loquor & scribo , vt par est , gratum discipuluni  
facere mentionem patris & præceptoris optimè de me  
& de vñiuersa Ecclesia & posteritate meriti : sed tamen  
in lectione scriptorum eius adhibeo iudicium , & quæ  
ab ipso iuxta analogiam fidei dicta aut scripta sunt  
grato animo amplector . Quæ verò non congruunt ad  
hanc normam , ea sine contumelia personæ & scripto-  
rum ipsius relinquo . Et sic homines quamuis sanctos  
& benemeritos diligo , vt eorum non diligam errores .  
Nulla enim res cuiquam veritate potior esse debet .  
Vteris præterea stratagemate gladiatorio , & conaris  
me propria confessione iugulare . Ego verò fateor , me  
argumen-

argumentis Lutherivsum, cùm nondum intelligerem scopum controuersiæ: interea tamen hoc verè affirmo, præcipua argumenta Lutheri nihil aliud efficere, nisi has duas conclusiones ab hominibus non furiosis concessas: quòd videlicet coena mystica differat à cibo physisco, & quòd in Cœna non distribuantur nuda signa seu vacua symbola. Has conclusiones non minus hodiè probo & amplector, quàm Ihenæ aut alibi ante multos annos. Sed quorsum attinet de concessis hypothēsibus rixari: cur non potius ad scopum controuersiæ de manducazione corporali piorum & impiorum nostras argumentationes referimus? Postremò, non satis mirari possum, cur statuas tropum in verbis Christi: Ego sum vitis vera; & abhorreas tantoperè à tropo in verbis Cœnæ: cùm quidem hæ propositiones: Panis est corpus: & Ego sum vitis, sola collocatione terminorū differant. Nam in priori propositione symbolo, corporis nomen tribuitur: in altera, corpori, nomen symboli. Sed quid ago, an oblitus sum characteris Epistolicis? Quare finem scribendi facio, & te hortor, ne hanc tertiam admonitionem negligas: sed re probes illam Sophoclis sententiam: Si quis putat pertinaciam sine mente rem præclararam esse, vehementer errat. Quòd si te docilem præbueris, libenter monitoris vice fungar: Sin autem aliud tibi videtur, malo de alijs rebus deinceps per literas tecum colloqui, qui, quàm de hac controuersia,

Vale, Datæ 3 Nouemb.

Anno 1568, Heidelberg.

*Victorinus Strigelius.*

E 2

*Ioanni Michaeli, pastori Ecclesie  
Oppurgensis S. D.*

Epist. IX.



Enerāde & doctissime vir, amice charissime:  
Video me eo fato natum esse, vt omnia mea  
dicta & facta in varias reprehensiones in cur-  
āt. Cūm ante annos sex migrassem ppter gra-  
ues & magnas causas ex Thuringia in Misniam, nemo o-  
mnium tam infans erat, qui non linguam suam in eo fa-  
to exagitando acueret. Nunc postquam ex Academia  
Lipsica in Heidelbergensem non sine causis necessarijs  
migraui, rursus sio asinus vulgi. Quid igitur agam?  
Tacebo, & quod est fatale feram. Ferendum enim, non  
culpandum est, quod mutari non potest. Quod verò  
ad doctrinam coelestem attinet, in qua propaganda  
paulatim consenescō, nunquam à fundamento trans-  
uersum vnguem discessi, vt testantur mea qualia cunq;  
scripta, nec deinceps Deo adiutore discessurus sum.  
Amplector toto pectore scripta Prophetica & Aposto-  
lica, & tria symbola: Apostolicum, Nicænum & Atha-  
nasianum: & quatuor synodos Oecumenicas: Nicæ-  
nam, Byzantinam, Ephesinam & Chalcedonensem: &  
in hac fide Deum inuoco. Nec verò ab illustrissimo & o-  
ptimo Principe Palatino Electore, Domino meo cle-  
mentissimo ad ullum scriptum humanum, siue vetus  
siue nouum: sed duntaxat ad verbum Dei alligatus sum,  
ad quod etiam mea sponte libenter meipsum alligo.  
Est enim a mentia, iurare in verba hominum, cūm om-  
nes homines & fallere & falli possint. Et quia in tuis li-  
teris mentionem facis doctrinæ à me traditæ in schola  
Ihenensi

Ihenensi, scito summam conclusionis in hoc versari,  
 quod differat coena mystica à cibo physico, & quod non  
 sint in ea vacua symbola, seu nuda signa. Hanc conclu-  
 sionem firmissimè teneo & discretè affirmo: sacramenta  
 non tantum esse signa distinctiua aut allegorica, sed es-  
 se organa, per quæ Deus est efficax in vero vsu: sicut per  
 verbum cum auditur aut legitur, efficax est. Longio-  
 rem disputationem de hac re nunc omitto, ac peto à te  
 amanter pro nostra coniunctione, ut mihi signifiques,  
 quem errorem de hac parte doctrinæ Flacciani aut alij  
 mihi obijciant. Nullum enim errorem vñquam perti-  
 naciter defendi, nec deinceps Deo me gubernante de-  
 fendam. Benè vale, vir doctissimè & amice charis-  
 simè, & me quod facias ama. Heidelb.

Cal. Iulij. 1568.

*Tuus amicus  
 Victorinus Strigelius.*



118. *On the origin of species by means of natural selection*


and the struggle for existence; in which the fittest are preserved, and the less fit are destroyed. In this manner it has been shown that each new variety arises, not by any act of creation, but by the process of natural selection.

It is evident that this view of the origin of species is in direct opposition to the theory of creation, and to the theory of special creation. It is also in opposition to the theory of spontaneous generation, and to the theory of pre-arranged forms. It is in accordance with the theory of evolution, and with the theory of development. It is in accordance with the theory of the origin of species by means of natural selection, and with the theory of the origin of species by means of variation and recombination.

It is evident that this view of the origin of species is in direct opposition to the theory of creation, and to the theory of special creation. It is also in opposition to the theory of spontaneous generation, and to the theory of pre-arranged forms. It is in accordance with the theory of evolution, and with the theory of development. It is in accordance with the theory of the origin of species by means of natural selection, and with the theory of the origin of species by means of variation and recombination.

London, 1859.

John Murray  
Albemarle Street



D. AVGVSTINI  
PERPETVA SEN-  
TENTIA ET CONFES-  
SIO DE SACRA-  
mentis in genere & de cœ-  
na Domini,

Collecta à Victorino Strigelio, in  
gratiam Illustriß. Principis cu-  
iusdam.

Anno  
M. D. LXIII.

D. LVTH. AD DVCEM PRVSSIAE

Non tantifaciam Cæsaris & Regum, totius-  
que Romani Imperij tremenda præscri-  
ptionum fulmina, quam si veteris & or-  
thodoxæ Ecclesiæ consensus & testimo-  
nia aduersus me producerentur.

**C A P V T P R I M U M D E  
D I S C R I M I N E V E R-  
bi & Sacramentorum.**

*Tract. XV in Ioann.*

Quid est Baptismus? Lauacrum aquæ in verbo. Tolle aquam: non est Baptismus. Tolle verbum: non est Baptismus.

*Tract. Lxxx. in Ioann.*

Detrahe verbum: & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad Elementum & fit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum.

*Tract. eod. paulo post.*

Vnde illa tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed qui creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.

**C A P V T S E C V N D U M  
D E D I S C R I M I N E S A-  
C R A M E N T O R V M E T  
Miraculorum.**

*Lib. tertio de Trinit. cap. 10.*

Sacmenta tanquam religiosa honorem possunt habere: stuporem tanquam mira non possunt.

**C A P V T T E R T I U M D E  
D I S C R I M I N E S A C R A M E-  
N T O R V M V E T E R I S E T  
noui Testamenti.**

## De fide ad Petrum Diaconum cap. 19.

In illis carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblatus; & sanguinis, quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio et commemorationis est carnis Christi, quam pro nobis obtulit; & sanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit. In illis ergo sacrificijs quid nobis esset donandum, figuratae significabatur: In hoc autem sacrificio quid nobis donatum sit, evidenter ostenditur. In illis sacrificijs pronunciabatur Filius Dei pro impijs occidens: In hoc autem pro impijs annunciatur occisus.

## Tractatu XXVI. in Iohann.

Sacmenta illa fuerunt, in signis diuersa sunt, sed in re, quae significabatur, paria sunt.

## Tractatu XLV. in Iohan.

In signis diuersis eadem fides: sic in signis diuersis, quomodo in verbis diuersis, quia verba sonos mutant per tempora, & utiqz nihil aliud sunt verba quam signa. Significando enim verba sunt: tolle significationem verbo, strepitus inanis est. Significata sunt ergo omnia. Nunquid non eadem credebant, per quos hac signa ministrabantur, per quos hac eadem, quae credimus prophetata pronunciabantur? Utqz credebant, sed illi venturum esse, nos autem venisse.

## Et Paulò post.

Videte ergo fide manente signa variata, ibi petra Christus, nobis Christus, quod in altari Dei ponitur. Et illi pro magno sacramento eiusdem Christi biberunt aquam profuentem de petra, nos quid bibamus, norunt fideles. Si speciem visibilem intendas, aliud est: Si intelligibilem significationem, eundem potum spiritualem biberunt,

## Epistola V.

*Alijs Sacramentis pranunciari Christum, cum veniret  
esset: alijs cum venisset, annunciar oportuit.*

## Epistola LVII.

*Non audemus fideles huius temporis preferre amicū Dñm  
per quos nobis ista prophetata sunt.*

C A P V T Q V A R T V M  
D E F O R M A P R A E-  
dicationis vītata in Sacra-  
mentis.

Lib. 3. de doctrina Christiana cap. 16.

*Si praeceptum locutio est, aut flagitium aut facinus vētare,  
aut utilitatem aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si  
autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut utilitatem  
aut beneficentiam vētare, figurata est. Nisi manducaueritis  
inquit, carnem filij hominis, & sanguinem biberitis, non be-  
bebitis vitam in nobis: facinus vel flagitium videtur iubere.  
Figura est ergo praciens, passioni Domini esse communica-  
dum, suauiter atq. utiliter recondendum in memoria, quād  
pro vobis caro eius crucifixā, & vulnerata sit.*

Psalmo 3.

*Dominus Iudam adhibuit in coniūtūm, in quo corporis  
sanguinis sui figuram discipulis commendauit & tradidit.*

In libro contra Adimantum cap. 12.

*Possim etiam interpretari, praeceptum illud in signo esse po-  
stum. Non enim Dominus dubitauit dicere: Hoc est corpus  
meum, cum signum daret corporis sui.*

Et in fine capit. 8.

N<sup>o</sup> 10

*Non ait Apostolus, Petra significabat Christum: sed inquit, Petra erat Christus, quia rursus ne carnaliter acciperetur, spiritualem illam vetat, id est, eam spiritualiter intelligi docet.*

**Lib. 3. contra Maximinum cap. 22.**

*Hec enim Sacraenta sunt, in quibus non quid sunt, sed quid ostendant semper attendatur: quoniam signa sunt rerum, aliud existentia & aliud significantia.*

**Libro III. in Leuiticum.**

*Solet res, qua significat, eius rei nomine, quam significat, nuncupari, sicut scriptum est; Septem spicæ septem anni sunt. Non n. dixit septem annos significant. Hinc est quod dictum est, Petra erat Christus: Non enim dixit, Petra significat Christum, sed tanquam hoc esset, quod utrig. per substantiam non hoc erat, sed per significationem: sic & sanguis, quia animam significat, in Sacramentis anima dictus est.*

**Tract. LXVII. in Ioann.**

*Non dictum est; Petra significabat Christum, sed Petra erat Christus. Ita enim solet scripturali loqui, ut res significantes, tanquam illas, quæ significantur, appellent.*

**Epiſtola CII.**

*Nec moueat, quòd aliquando res, quæ significat, nomen eius rei, quam significat, accipit. Sic enim & Petra Christus, quia significat Christum.*

**Epiſtola XXIII.**

*Si Sacraenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacraenta sunt, non haberent; omnino Sacraenta non essent. Ex hac autem similitudine plerung. etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est; Sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est: Ita Sacramentum fidei fides est.*

Et paulò post.

*Sicut de ipso Baptismo Apostolus; Consepulti, inquit, sumus Christo per Baptismum in mortem: Non ait sepulturam significamus, sed proorsus, ait, consepulti sumus. Sacramentum ergo tantæ rei non nisi eiusdem rei vocabulo nuncupauit.*

## C A P V T Q V I N T V M D E M A N D U C A T I O N E Christi.

Tract. XI. in Ioannem.

*Cum dixisset; Nisi quis manduauerit carnem meam: id ne carnaliter intelligerent, Spiritus est, inquit, qui vivificat.*

Tract. XIII. in Ioann.

*Sed quia diximus, manducare Angelos, fratres, ne peccatis morsibus fieri, Nam si hoc intellexeritis, quasi dilaniatur Deus, quem manducant Angeli.*

Tract. XXVI. in Ioann.

*Hoc est manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum insemanentem habere.*

Et paulò post.

*Si quis manduauerit ex ipso, non morietur in eternum. Hoc pertinet ad virtutem Sacramenti, non ad visibile Sacramentum. Qui manducat intus, non foris: Qui manducat corde, non qui premit dente.*

Psalmo 98.

*Spiritualiter intelligite quod locutus sum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigunt. Sacramentum aliquod vobis*

vobis commendau, Spiritualiter intellectum viuificabit vos.  
Et si necesse sit illud visibiliter celebrari, oportet tamen inuisi-  
biliter intelligi.

Sermone II. de verbis Apostoli.

Putatis, quia de hoc corpore, quod videtis, partes facturus  
sum, & membra mea concisurus & vobis daturus? Illud man-  
ducare refici est: illud bibere, quid est nisi vivere? Tunc autem  
corpus & sanguis Christi erat vita unicuique, si quod in Sacra-  
mento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter man-  
ducetur & bibatur.

C A P V T S E X T V M D E  
M A N D V C A T I O N E  
indignorum.

Libro 21. de ciuitate Dei, cap. 25.

Non dicendum est, eum manducare corpus Christi, qui in  
corpore non est Christi. Item, Nec istic ergo dicendi sunt man-  
ducare corpus Christi, quoniam nec in membris computandi  
sunt Christi. Vi enim alia taceam, non possunt simul esse &  
membra Christi, et membra meretricis. Denique ipse dices: Qui  
manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me  
manet, & ego in eo, ostendit quid sit non Sacramentotenus sed  
revera corpus Christi manducare, & eius sanguinem bibere.  
Hoc enim in Christo manere, ut in illo maneat & Christus.  
Sic enim hoc dixit, tanquam diceret: Qui non in me manet,  
& in quo ego non maneo, non se dicat, aut existimat manduca-  
re corpus meum, aut bibere sanguinem meum. Non itaque ma-  
nenit in Christo, qui non sunt membra eius: non sunt autem  
membra Christi, qui se faciunt membram ereticis, nisi malum  
illud penitendo, esse desisterint, & ad hoc bonum reconcilia-  
tionem redierint.

Tract.

Tract. XXVI in Ioann.

*Sacramentum de mensa Dominica sumitur quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Res verò ipsa cuius Sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, qui cunq[ue] eius particeps fuerit.*

Tract. LIX in Ioann.

*Illi manducabant panem Domini: Iudas panem Domini contra Dominum: Illi vitam, ille panam.*

Prosper sententia 339, ex Augustino.

*Escam vita accipit, & poculum vita bibit, qui in Christo manet, & cuius Christus habitator est. Nam qui discordat à Christo, nec panem eius manducat, nec sanguinem bibit, et iam si tantarei. Sacramentum ad iudicium sua presumtio, quotidie accipiat.*

## C A P V T S E P T I M U M D E A S C E N S I O N E Christi in cœlum,

Tract. XIII in Johann.

*Peregrè profectus est accipere regnum suum, sicut dicit ipse in Euangelio, & tamen præsens est Maiestate.*

Tract. L in Johann.

*Secundum Maiestatem suam secundum prouidentiam, secundum effabilem & inuisibilem gratiam impletur quod ab eo dictum est: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Secundum carnem vero, quam verbum assumpit, secundum id, quod de virgine natus est, secundum id, quod à Iudeis prehensus est, quod ligno crucifixus, quod de cruce depositus, quod linteis inuolitus, quod in sepulchro conditus, quod in resurrectione manifestatus, non semper*

semper habebitis vobis cum. Quare? quia conuersatus est secundum corporis presentiam 40 diebus cum discipulis suis, & eis deducentibus videndo non sequendo ascendit in cælum, & non est hic. Ibi est enim, sedet ad dexteram Patris, et hic est. Non enim recessit præsentia Maiestatis.

### Tract. CVI. in Iohann.

Nunc autem ad te venio. Vnde manifestum est, cum de corporali sua dixisse præsentia; cum essem cum eis, ego seruabam eos, velut iam cum eis capræsentia non esset. Eo modo enim significare voluit, ascensionem suam mox futuram, de qua dixit. Nunc autem ad te venio, iturus viig. ad dexteram Patris, unde venturus est ad viuos & mortuos iudicandos. Præsentia itidem corporali secundum fideli regulam sanamq; doctrinam. Nam præsentia spirituali cum eis erat, viig. futurus post ascensionem suam, & cum tota Ecclesia sua in hoc mundo usque ad consummationem seculi. Non itaque rectè intelliguntur, de quibus dixerit; cum essem cum eis, seruabam illos, nisi hi quos in se credentes seruare iam caperat præsentia corporali, & quos relicturus fuerat absentia corporali, ut eos cum Patre seruaret præsentia spirituali.

### Tract. CVII in Iohann.

Commendat ergo eos Patri, quos corporali absentia reliturus est, dicens: Pater sancte. Item, Et quando ab eis absulit Filius præsentiam corporalem, tenuit cum Patre custodiām spiritualem.

### Psalmus 46.

Tollitur quidem corpus ab oculis nostris, sed non separatur Deus à cordibus nostris. Videte ascendentem, credite in absentem, sperate venientem: sed tamen per misericordiam occultam, etiam sentite præsentem. Ille enim qui ascen-

ascendit in cælum, ut tolleretur ab oculis nostris, promisit vobis dicens: Ecce ego vobis sum usque ad consummationem seculi. Merito & Apostolus sic vos alloquebatur: Dominus propè est: Non sitis solliciti. Sed & super cælos Christus, & longè sunt cæli, & ipse qui ibi sedet, propè est.

## CAPUT OCTAVVM DE PROPRIETATI- bus duarum naturarum in Christo.

### EPISTOLA AD DARDANUM LVII.

*N*eque enim ipso die in cælo futurus erat homo Christus Iesus: sed in inferno secundum animam, in sepulchro autem secundum carnem.

Et paulò post.

*E*sit autem sensus multò expeditior, & ab his omnibus ambiguitatib. liber, si non secundum id, quod homo erat: sed secundum id, quod Deus erat, dixisse accipiatur: Hodie mecum erit in paradyso. Homo quippe Christus illo die secundum carnem in sepulchro, secundum animam in inferno futurus erat: Deus verò idem ipse Christus ubique semper est.

In eadem.

*S*ecundum hominem namque in terra erat, non in cælo, ubi nunc est, quando dicebat: Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis, qui est in cælo; quamuis secundum id, quod Filius Dei erat, esset in cælo, secundum id, quod Filius Hominis erat, adhuc esset in terra, nondumque ascisset in cælum.

Item.

*N*eque

Noli itaq; dubitare, ibi nunc esse hominem Iesum Christum, unde venturus est, memoriterq; recole & fideliter tene Christianam confessionem, qui cum resurrexit a mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris, nec aliunde quam inde venturus est ad viuos mortuosq; iudicandos. Et sic venturus est, illa Angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cælum, idest, in eadem carnis forma & substantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus ubiq; diffusus. Cauendum est enim, ne ita diuinitatem tueamur hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubiq; vt Deus. Nam & de nobis veracissima scriptura dicit, quod in illo vivimus, mouemur & sumus: nec tamen ut ille ubiq; sumus: sed aliter homo in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine, proprio quodam et singulari modo. Unaenam persona Deus & homo est, & utrumq; est unus Christus Iesus, ubiq; perid quod Deus est, in cælo autem per id quod homo.

### In eadem.

Christum autem Dominum nostrum unigenitum Dei filium, aqualem Patri, eundemq; hominis filium, quo maior est Pater, & ubiq; totum praesentem esse nos dubites, tanquam Deum, & in eodem templo Dei esse, tanquam inhabitantem Deum, & in loco aliquo cæli, propter veri corporis modum. Nam spacia locorum tolle corporibus, nusquam erunt, et quia nusquam erunt, nec erunt.

### Tract. L. in Iohann.

Quomodo in cælum manum mittam, ut ibi sedentem teneam? Fide mitte & tenuisti. Parentes tuit tenerunt carne, tute re corde, quoniam Christus absens etiā præsens est. Nisi præsens esset, à nobis ipsis teneri non posset. Sed quoniam ve-

rum est, quod ait: Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi, & abiit & hic est, & rediit & nos non deseruit. Corpus enim suum intulit cælo, Maiestatem non abstulit Mundo.

In eadem.

Secundum presentiam Maiestatis semper habemus Christum, secundum presentiam carnis paucis diebus illum habuit Ecclesia, modo fide tenet, oculis non videt.

Tract. CII. in Iohann.

Exiit à Patre, quia de Patre est; & in mundum venit, quis mundo suum corpus ostendit, quod de virgine assumit. Reliquit Mundum corporali discepcione, perrexit ad Patrem hominis ascensione, nec Mundum deseruit presentia gubernacione.

Psalmo 26.

Ecce quale pignus habemus, unde & nos fide & spe & charitate cum capite nostro sumus in cælo in æternum, & quia sum diuinitate & bonitate & veritate nobiscum est in terra usq; ad consummationem seculi.

Victorinus Strigelius, de controversia coenæ Domini ab illustriss. Principe A.D.B. interrogatus, responsi loco hanc sententiarum Augustini συλλογήν ad Cels. Ill. mittebat, Anno 1546.

# PROBLEMATIS,

RECTENE AVGUSTI-

NVS CENSVERIT; PATRVM

& nostra Sacra menta diuersa quidem fuisse, Rem au-

tem eandem; nec ne?di iudicatio Theologica, tradita à

D. Iohan. Iacobo Grynæo: de qua in publica di-

sputatione, die 4 Iulii, respondebit

Iacobus Harminius Hol-

landus.

A D

*Antique laudataq; nobilitatis Iuuenem, Dn.*

*HERMANNVM VON DER MALS.*

*BVRG, non minus sua, quam etiam Heroi.*

*corum Maiorum laude florentem.*

*Augustinus:*

*Sacra menta omnia, & veterum & nostra, ad vnam fidem  
recurrunt. Epist. 158.*

*Gregorius Rom.*

*Sacra menta foris percipimus, vt intùs sancti Spiritus gra-*

*tia repleamur.*

S P L E N D O R E N O B I L I S-  
S I M A E F A M I L I A E , E T V I R-  
T V T V M L A V D E F L O R E N.

tissimo iuueni , D. Hermanno von  
der Malsburg.

S. P. D.

**S**i, quod Aristoteles de iustitia dixit , Hespero videlicet & Lu-  
fero eam esse formosorem, idem & de veritate , quæ Tertullia-  
no teste , nihil erubescit , nisi abscondi , nobis plenè persussum  
esset : haud dubie , nec  $\pi\sigma\sigma\tau\omega\pi\tau\omega\lambda\pi\alpha\lambda\pi\alpha$  fascinum , nec pericu-  
lorum , quæ veritatis studium & professionem comitari solent , metum , nec  
deniq; euaniadam terrenorum commodorum spem , qua mendacium homini-  
bus incautis illudit , nobis verba dare pateremur : sed studiosè & constanter  
Veritatem , cuius contemplatio iucundissima est , quum eius doctor Deus sit,  
vt Augustini verbis utar , nobis inquirendam , cognoscendam & profitandam  
esse iudicaremus .

Sed enim quum veritatis tum sementi , tum messi , non semper idem cum  
poris momentum diuina sapientia prestat , veritatis donum nobis quidem  
gratulemur , alijs autem , quibus illius fulgor nondum illuxit , spe bona am-  
mati , precemur , ac modeste veritatem diuinitus nobis patefactam profite-  
mur , nunquam non repeentes beati Hieronymi elegans dictum : Si proptet  
timorem mortis tacere veritatem , impietas est : quomodo non est maior im-  
pietas , propter miserum ventrem , et honoris vanam spem , tacere veritatem .

Gratulor itaq; tibi , Nobilissime D. M A L S B U R G I , quod pricipua  
Dei æterni & omnipotentis dono , tibi datum est , cum stemmatis & laude  
Maiorum , virtutes non solum heroicas , & Equestris vestro ordini , belli pa-  
cisq; temporibus necessarias : sed etiam verè Christianas , pacis inquietam et ve-  
ritatis amorem & studium , coniungere : & toto pectore oro Filium Dei , D.  
nostrum Iesum Christum , vt te ( qui hoc tempore inter mense mee decora-  
na cum nobilissimis aliquot & ingeniosissimis hospitibus , optatissimus  $\delta\mu-$   
 $\tau\pi\alpha\pi\zeta\sigma\epsilon$  ) & totam famil'ā M A L S B U R G E N S E M , ad glori-  
riam suam & Reipub. ac subditorum vestrorum utilitatem ,  
florentem esse velis . Benè vale . Basileæ ,

Calendis Iulij , 1583.

Iohannes Iacobus Gryneus ,  
S. Theologix Professor.

53

DE VTRIVSQUE TE-  
STAMENTI SACRA-  
mentis Theses.

I.

**A**ugustini lib. 19 cap. 16 contra Faustum Manichæum hæc verba sunt: Interim aduersus calumniosam impietiam Fausti demonstrare sufficerit, quanto errore delirent, qui putant signis sacramentisque mutatis, etiam res ipsas esse diuersas, quas ritus Propheticus prænunciavit promissas, & quas ritus Euangelicus annunciauit impletas: aut qui censem, cum res exdem sint, non eas alijs Sacramentis annunciarí debuisse completas, quam his, quibus adhuc complæ prænunciabantur, &c.

II.

Res autem inter quosdam controuersa est: Veréne Angustinus censuerit, Patribus & nobis diuersa fuisse Sacraenta, rem tamen eandem vtrisque fuisse propositam, an verò non? Ac Manichæi quidem olim fingebant, Signis mutatis, res quoq; mutata esse: Augustinus autem contrâ, Rebus manentibus, signa mutata esse, prudenter docuit.

III.

Priùsq; recte, an verò secus, Augustinus de re tanta prænunciauerit (diuinæ Scripturæ Canonem sequentes) indicemus; quæ fuerit eiusdem Patris de mysterijs istis mens & sententia, ex illius *synoïois* libris colligendum existimamus. Digna sunt memoria hæc Augustini dicta.

1. In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur: quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum. Et idèo contenta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas. Contra Faustum Manich. lib. 19, cap. 11.

2. Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Et paulò post: Vnde ista tanta virtus aquæ,

ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Tractatu 8 super Ioannem.

3. Ista, fratres, ideo dicuntur Sacra menta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet spiritualem. In sermone ad infantes ad altare de Sacramento.

4. Aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Quam multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur? Tractatu 26 super Ioannem.

Eidem aliud est Sacramentum, aliud res Sacramenti & veritas. In Eucharistia Augustino Sacra menta sunt, panis & vi num Domini: Res Sacra menti, corpus & sanguis Christi, & fructus qui redit ad eos, qui Christi Iesu per fidem participes sunt.

5. Si enim Sacra menta quandam similitudinem carum rerum, quarum Sacra menta sunt, non haberent, omnino Sacra menta non essent. Ex hac autem similitudine plerunque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quandam modum, Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, &c. Ad Bonifacium, Epist. 23.

6. Visibilia Sacra menta pietatis, inesse possunt etiam impios: sicut habuisse sanctum Baptismum, etiam Simonem Magum legimus. Fiant tales, quales Apostolus ait: Habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegant. Contra Faustum Manichaeum, lib. 19, cap. 12.

Aliud est 7. Soli Catholicci non solum Sacramento, sed re ipsa manducauerunt cor sacra mon pus Christi, in ipso scilicet eius corpore constituti. De quo corpore ait Apostolus: Vnus panis, vnum corpus multi sumus. Qui ergo est in eius corporis u nitate, id est, in Christianorum compage membrorum, cuius corporis Sacra mentum fideles communicantes de altari sumere consueuerunt, ipse verè dicendus est manducare corpus Christi, & bibere sanguinem Christi. At per hoc heretici & schismatici ab huius unitate corporis separati, possunt idem percipere Sacramentum, sed sibi non utile, immò verò etiam noxiū, &c. Paulò post: Sed rursus etiam isti, qui recte intelligunt, non dicendum eum manducare corpus Christi, qui in corpore non est Christi, non recte promittunt eis, qui vel in heresin, vel etiam in Gentilium superstitionem, ex illius corporis unitate labuntur, liberationem quandoq; ab aeterni igne supplicij. De cinct. Dei, lib. 21, cap. 25.

8. Proinde

3. Proinde prima Sacra menta , que ob servabantur & celebrabantur ex lege , pranunciatiua erant Christi venturi : que cum suo aduentu Christus impleuisset , ablata sunt . & ideo ablata , quia impleta : non enim venit solu re legem , sed adimplere : & alia sunt instituta virtute maiora , utilitate me liora , actu faciliora , numero pauciora , tanquam iustitia fidei reuelata , & in libertatem vocatis filiis Dei , &c. Contra Faustum lib. 19 , cap. 13.

In eandem sententiam pronunciat alibi : Sacramentis numero paucissimis , obseruatione facillimis , significacione prestantissimis , societatem noui populi colligauit Deus. Ad inquisit. Ianuarij , cap. 1.

### III.

Ex ijs , quæ iam adduximus , Augustini dictis , hanc illius sententiam fuisse colligimus : Sacra menta , quæ sunt visibilia & di uinitus sancta signa promissionis gratiæ & rerū inuisibilium , diversa fuisse in vetere & novo Testamento , communia tamen & fuisse & esse omnibus , tam fidelibus , quam hypocritis , qui in externa societate populi Dei versati , & eis vñ essent : Rem vero & virtutem Sacramentorum , signis Sacramentalibus repræsentatam , eandem semper fuisse & esse , & ea frui eos tantum , qui in interna Ecclesiæ societate locum habent , & Christo concordes , communione Sanctorum gaudent . Signis itaque Sacra mentalibus , quæ in vñ fuerunt Patrum & Prophetarum temporibus , Messia exhibito , abolitis & mutatis , alia instituta esse , & usurpari in Ecclesia Christiana coepisse ; rebus spiritualibus , quæ inde usque ab exordio mundi , ad eius consummationem communes sunt omnibus saluandis , interim manentibus , vere recteque censuit Augustinus .

### V.

Rem & virtutem Sacramentorum Augustinus vocat , Iesum Christum , qui hodie , heri idem est , & in secula , Heb. 13. 8: & Agnus mactatus iam inde à iactis mundi fundamentis , Apoc. 13. 8. Quum enim sit caput corporis Ecclesiæ , principium & primogenitus ex mortuis , ut in omnibus primas teneat , Col. 1. 18 , semper adfuit & adevit Ecclesiæ , 1. Cor. 10. 9. Matth. 28. 20 : & eam de Mondo sanctificatam , beneficijs salutaribus afficit & ornat .

Piè autem docet Augustinus, impios seu infideles non fieri participes rei seu virtutis Sacramentorum, etiam si Sacra mentalia signa, quæ in sensu incurruunt, ad damnationem suam percipient. Etenim sanctum non datur canibus, & margaritæ non projiciuntur ante porcos: Matth. 7. 6. Ac si nulla est Christo concordia cum Belial, ne cess pars fideli cum infideli, 2 Cor. 6. 15: non certè est cur putemus, rem virtutemque Sacramentorum, nobis fidelibus, cum infidelibus hypocritis esse communem.

## V I.

Sed enim, ut secundum Scripturas diuinæ, de re tanta statuimus & pronunciemus, toti nostræ disputationi hanc demonstrationem, tanquam auream basin, substernimus.

Si nobis Christianis cum sanctis Patribus & Prophetis communis est circumcisio, & agnus Paschalis; illis autem Baptismus & Eucharistia nobiscum communis est: tum equidem tequitur, Sacra menta Patrum & nostra diuersa quidem esse; rem verò & virtutem eandem planè esse. Etenim à rebus ipsis internis, & à virtute salutari mysteriorum istorum estimatio pertendat: non à signis externis; quæ cùm sint mutata, diuersa iam esse facta, nemo sanus non intelligit.

Vera autem sunt ea, quæ antecedunt, iuxta dicta: Patres in Mosen baptizati sunt nube & mari: Et, omnes eundem escam spiritualem ederunt: Et, omnes eundem potum spiritualem bibent. Bibebant enim ex sequente spirituali Petra: Petra verò erat Christus: 1. Cor. 10. 2. 3. 4. Particulam (eandem) non esse restringendam ad Patres, sic, ut sententia sit, Eandem inter se, non Eandem quam & nos percipimus, inde colligimus: 1. Quia Pausus Patribus etiam Baptismum tribuit. 2. Quia de re Sacramenti loquens Christi meminit. 3. Quia alioqui enerueretur Pauli argumentum. Itaque hæc sententia est: Si Deus Patribus, quibus non magis quam nobis Baptismus & Esca Potusque spiritualis deerat, peccantibus non pepercit: Ne nobis quidem (fiducia Sacramentorum inflatis) parcer, si quidem εν προφητείᾳ peccauerimus. Iam verò & circumcisionem & Pascha nobis cum Patribus eadem ratione communia esse, hæc dicta testantur: In Christo estis circumcisi, circumcisione quæ fit sine manibus,

manibus, dum corpus carnis peccato obnoxia exuisti per circumcisionem Christi, Col. 2. 11. Item, Etenim Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est, nempe Christus, 1. Cor. 5. 7.

Verum igitur est & quod ex illis consequitur, videlicet Sacra menta quidem Patrum & nostra diuersa esse, ipsam verò rem & virtutem & substantiam eandem, id quod per calumniosam im peritiam à Manichæis negari, iure queritur Augustinus.

## V I I.

Iam verò, ut in gratiam iuniorum res tota, quam fieri potest, & breuiissimè & lucidissimè illustretur, de quatuor istis Sacramentis, Baptismo inquam, Eucharistia, circumcisione & agno Paschæ, differemus. Nam ubi constiterit, in illis quatuor Sacramentis signa diuersa fuisse, rem autem eandem, & omnibus fidelibus veteris nouique Testamenti communem: facilè colligi poterit, quid de Manna, de Sabbatho, & de alijs quibusdam sit piæ menti statuendum. Dominus Iesus det, ut non nisi vera & salutaria dicamus.

## V I I I.

1. De Baptismo. In nostræ initiationis & regenerationis Sacramento, signum sacramentale est aqua, & eius aspersio: Res Sacramenti, sanguis Christi, cuius asperzione emundamur ab omnibus peccatis; virtus Spiritus sancti, regeneratio, viuisatio novi hominis, mortificatio veteris hominis, iuxta dicta: Baptismus nos quoque seruat (non quo carnis lorde abiciuntur, sed quo fit, ut bona conscientia Deum interroget) per resurrectionem Iesu Christi, 1. Pet. 3. 21. Item, Sanguis Iesu Christi filij eius purgat nos ab omni peccato, 1. Ioan. 1. 7. Item, Ex misericordia seruauit nos per lauacrum regenerationis, & renouationem Spiritus sancti, Tit. 3. 5. Rom. 6. 3. 4. 5.

2. Signum sacramentale Baptismi usurpari cœpit noui Testamenti tempore; & commune est tamen viuis quam putridis Ecclesiæ membris, ut Simonis Magi & similium exempla testatur.

Sed res Sacramenti, Sanguinis videlicet Christi aspersio & pretium, & virtus Sacramenti, videlicet regeneratio & renouatio hominis saluandi, inde usque ab initio Ecclesiæ viguit, & non nisi fidelibus, qui viua Christi membra fuerunt & sunt, communis fuit & est.

3. Proinde si quis neget, Patribus & nobis Baptismum, si rem  
& virtutem species, communem esse, reducendus est ad hæc ab-  
surdæ: Vel Patres omnino emundatos à peccatis, & regenitos  
non fuisse, ac proinde perisse in æternum; vel eosdem sine san-  
guinis Christi aspersione & pretio sanctificatos, regeneratos &  
redemptos esse: quorum utrumque est absurdissimum.

4. Fateamur itaq; id quod res est, aquæ Baptismum institutum  
esse circa incunabula Ecclesiæ noui Testamēti, & à ministris ver-  
bi Dei dispensari: Spiritus autem Baptismum à Filio Dei inde  
vsque ab initio Ecclesiæ administratum esse; quum nemo, nisi  
qui est genitus ex aqua & Spiritu, possit introire in regnum  
Dei, Matth. 3.11. Iohann. 3.5.

## I X.

1. De Eucharistia. In Sacramento spiritualis alimonie, in quo  
non ventris, sed mentis; non veteris hominis, sed noui homi-  
nis negotium agitur: signa sacramentalia sunt, panis Domini,  
& vinum Domini: Res Sacramenti, corpus Christi pro nobis  
traditum, sanguis Christi pro nobis fusus, iuxta dictum Pauli,  
quo verborum Christi in sacra Cœna sententia diuinissimè ex-  
ponitur: Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne com-  
munio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne  
communio corporis Christi est? 1. Cor. 10. 16.

2. Signa sacramentalia Eucharistiæ, in Ecclesia noui Testa-  
menti tūm demūn usurpari cœperunt, quando res illæ terrenæ  
ad eos vsus à Christo Iesu in Cœna prima sanctificata essent:  
communes autem esse omnibus S. Cœna vtentibus, tam fidem  
simulantibus, quām verè fidelibus, nemo non intelligit.

Sed res huius Sacramenti, ipsa videlicet corporis & sanguini-  
nis Christi communio, quæ res cœlestes complectitur, toti veræ  
Ecclesiæ utriusque Testamenti communis, non nisi fidelium  
propria est: vt ex effectu manifestè liquet, qui à virtute & sub-  
stantia Sacramenti dependet, videlicet ex mansione in Christo  
& vivificatione noui hominis, de qua dicitur: Qui edit meam  
carnem, & babit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.  
Qui ederit me, vivet ipse per me. Item, Qui edit carnem meam,  
& babit meum sanguinem, habet vitam æternam, Io. 6.56.57.54.

3. Ideo si quis Paulo dicenti, Patres omnes eandem escam spi-  
ritualē:

ritualem ederunt, i. Cor. 10. 3 contradicens neget, Patribus rem & virtutem Eucharistiae nobiscum communem fuisse, reducendus quoque erit ad manifeste absurdia & impia. Quum enim Panis quem frangimus, sit communio corporis Christi; & poculum cui benedicimus, sit communio sanguinis Christi: posita falsa hypothesi, quæ negat, Patres manducasse Christi corpus, & eiusdem sanguinem bibisse; sequentur hæc inconuenientia: Vel Patres, alimonia spirituali destitutos, fame spirituali confectos, perijisse in sempiternum: vel citra communionem corporis & sanguinis Christi nutritos & sustentatos fuisse ad vitam æternam. Atqui utrumque horum falsum est.

4. Agnoscamus itaq; id quod res ipsa & ratio iam ~~reverentia~~ dictant, videlicet, Eucharistiae signa sacramentalia à ministris noui Testamenti decenter administrari, & cùm sensibilia ac res terrenæ sint, sensibiliter & corporaliter à veris & à fictitijs Christianis percipi: Rem verò Eucharistię, id est, pro nobis traditum Christi corpus & pro nobis fusum eiusdem sanguinem & virtutem, hoc est, efficaciorē pleniorēq; nostram cum Christo capite consociationem, implantationem, conformationem & vivificationem, communem toti Ecclesię inde usque ab eius exordio, à Deo Patre dari, spiritualiter per fidem percipiendam, iuxta illud: Pater meus dat vobis panem illum verè cœlestem, Ioan. 6. 32.

Neque enim est, cur scrupulum nobis pariat puerile illud sophisma: Caro Christi Patrum temporibus nondum extabat in rerum natura: Non igitur manducari à Patribus potuit. Etenim si ita cauillari libeat, non minus firmum erit hoc quoq; sophisma: Patrum ætate nondum erat Christus in carne patefactus: Non igitur erat Mediator inter Deum & homines. Vnde sequitur, nullam tunc fuisse Ecclesiam, quæ certè citra Mediatoris interuentum nulla esse potest, quum semel homines inimici Dei facti fuerint, Rom. 5. 10.

Si carnalem & Capernaiticam substantię corporis sui manducationem, quæ ore & dentibus fieret, Cœna sacrosancta instituta, sanxisset Christus, tunc sequeretur, Patres non manducasse corpus Christi, quod nondum extabat.

Sed quum etiam exhibito in carne Christo, Augustino teste,

maiis scelus sit, carnem humanam edere, quam hominem occidere; & bibere sanguinem humanum, quam fundere: meminerimus, Christi corpus, quatenus pro nobis traditum, viuisum est; & eiusdem pro nobis fusum sanguinem, cibum potumque esse, qui ore animæ, seu fide olim à Patribus perceptus sit; nunc autem & à nobis percipiatur, ut in ipso summatione recolligantur, viuiscentur & instaurentur omnes saluandi. Sint autem pijs in numerato hæc elegantissima Augustini dicta:

1. *Nolite parare fauces, sed cor. Inde commendata est ista Cœna. Ecce credimus in Christum, quum fide accipimus. In accipiendo nouimus quid contineatur: modicum accipimus, & in corde saginamus. Non ergo quod VIDEAT VR, sed quod CREDIT VR, pascit.* De verb. Dom. in Euang. Lucæ, Serm. 33.
  2. *Vt quid paras dentem & ventrem? Crede, & manducasti.* In Iohann. Tract. 25.
  3. *Tunc autem vita uniuicuique erit corpus & sanguis Christi, si quodcum Sacramento VISIBILITER sumitur, in ipsa veritate SPIRITUALITER manducetur & bibatur. Audiimus enim Dominum dicentem, Spiritus est, qui vivificat, Caro non proficit quicquam. Verba qua loquuntur sum, spiritus & vita sunt.* De verbis Apostoli, Serm. 2.
  4. *Caro Christi vita fidelium est, si corpus ipsius esse non negligant. Fiant ergo corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi, de quo non vivit nisi corpus Christi.* De vera innocentia cap. 338.
  5. *Hic est ergo panis, qui de cœlo descendit, vt si quis manducauerit ex ipso, non moriatur: sed qui pertinet ad virtutem Sacramenti, non qui pertinet ad visibile Sacramentum: qui manducat IN TVIS, non FORIS: qui manducat in CORDE, non qui premit DENTE. Et paulò ante: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licet carnaliter et visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei Sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit, &c.* Tractatus 26 in Iohannem.
- Ex his & similibus Augustini dictis colligimus, eos manducare.*

care carnem Christi, & bibere eius sanguinem spiritualiter, & per fidem (neque enim aliter percipi cœlestia illa, & sola fidei perspecta dona possunt) qui Christo concorpores, & illius membra viua sunt. Atqui omnes fideles, tam veteris quam noui Testamenti, concorpores illi sunt, membra corporis eius, ex carne eius & ex osibus eius, Eph. 5. 30. Quare hi omnes manducant carnem Christi, & bibunt eiusdem sanguinem. Loquor iam de re Sacramenti & eiusdem virtute.

Immane autem, quam procul discessit à pia & orthodoxa sententia Augustini, de Sacramenti & rei ac virtutis discrimine, de spirituali perceptione corporis & sanguinis Christi (quam virtute Spiritus sancti & fidei sit, accomunis est toti veræ Ecclesiæ) Nicolaus Papa Romanus; qui, anno Christianæ Epochæ 1059, in Lateranensi Concilio, Palinodiam prescripsit, quæ his verbis tradita habetur in Decreto, Distinct. 2 de consecratione: Ego Berengarius, indignus Ecclesiæ S. Mauritij Andegauensis Diaconus, anathemarizo omnem hæresin, præcipue eam de qua haec tenus infamatus sum, quam astruere conatur, Panem & vinum in altari post consecrationem solummodo Sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, & non posse SENS VALITER, nisi in solo Sacramento, manibus Sacerdotum TRACTARI vel FRANGI, aut fidelium DENTIBVS ATTERI. Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ sedi, & ore atque corde profiteor, de Sacramentis Dominicæ mensæ eandem fidem me tenere, quam dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus auctoritate Euangelica & Apostolica tenendam tradidit, mihiq; firmauit, scilicet, panem & vinum, quam in altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse: & sensualiter, non solum Sacramentum, sed in veritate MANIBVS Sacerdotum tractari & frangi, & fidelium DENTIBVS atteri, iurans per sanctam & ὁμοστοῦ Trinitatem, & per hæc sacrosancta Christi Euangelia, eos qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus & consecrationibus suis æterno anathemate dignos esse pronuncio. Quod si ego ipse aliquando contra hoc aliud sentire aut prædicare præsumfero, Canonum se:

*Vt doctri-  
na Nicolai  
Istius falsa  
est, sic ora-  
tio eiusdem  
mendoza,  
nec digna  
quam cor-  
rigas.*

ueritati subiaceam. Lecto & perlecto sponte subscripti. Hanc confessionem suæ fidei, de corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, à Berengario Romæ coram C X IIII. Episcopis fa-ctam, misit Papa Nicolaus per vrbes Italiam, Germaniam, Galliam, & ad quæcunque loca fama prauitatis eius præuenire ante pos-tuit, vt Ecclesiæ, quæ prius doluerant de auerlo & peruerso, po-stea gaudeant de reuerso atque conuerso.

## X.

1. De circumcisione. Si iustitia sigillum consideres, Sacra-men-tum erat, præputij præcisio: Res Sacramenti, cordis (in ijs qui se-dere Deo iuncti erant) circumcisione; de qua dicitur: Circumcidite præputium cordis nostri, & ceruicem vestram ne induretis vtræ, Deut. 10. 16.
2. Signum circumcisionis institutum tempore Abrahæ, An-no mundi conditi 2048, ante Christum natum 1923, apud Israe-litas usq; ad tempus correctionis in Iesu fuit: intermissum tamen fuit per annos 40, quum Israelitæ in deserto versarentur, Ios. 5. 5.
3. Ac commune fuit hoc signum sacramentale, veris Israelitis & adulterinis: ipsisque adeo Pseudo Iudæis & Turcis hac nostra ætate visitatum & commune est.
4. Sed res Sacramenti & virtus, etiam antequam Sacra-men-tum circumcisionis esset institutum, ijs nunquam defuit, in-sidelibus nunquam adfuit: nec etiam abrogato circumcisionis in-stitu, nobis fidelibus deest, aut unquam deerit.
5. Quare, si quis circumcisionem spiritualem Christianis deroga-are ausit, ad absurdum reducendus est. Vel enim Christiani, dū corpus carnis peccato obnoxia exuunt per circumcisionem pro-άπειλοις την καρδίαν γένοις ὁσίαν, id est, incircucisis corde & au-tibus (qui semper obniti solent Spiritui Sancto) habendis non sunt, Col. 2. 11. Act 7. 51. Vel certè corda à prauis cupiditatibus; aures, lingua, labia, manus, citra diuinam circumcisionem (quæ spir-itus est, non literæ) à vitiosis sermonibus, dictis, factis, alienæ fi-un: quod etiam simpliciter impossibile est.
6. Statuimus itaque, circumcisionem, quæ est in propatulo, id est, in carne, diuinitù certis temporibus & institutam & anti-quatam, & ab hominib. administrari solitā, communem fuisse veris & falsis Israelitis: Cordis autem circumcisionem, quæ spir-itu non litera cōstat, & cuius laus non est ex hominib. sed ex Deo,

Rom. 2.28, 29, tantisper in v̄su fuisse & fore, donec iustitia fidei ad nos iustificandos, nobis imputabitur, & in nobis ob-signabitur.

Plurimum autem refert illud obseruare, quod dialecticè sub-içiam, vt formentur pia*x* iuuentutis iudicia de rebus magnis.

De similibus idem est iudicium. At qui carne tantum, non spiritu & corde circumcisii sunt, dicuntur in circumcisii corde. Act. 7.5: eorum circumcisio fit præputiū, hoc est, pro incircumcisio & profanis habentur, Rom. 2. 25: vocantur contumeliam gratia *κατοργής*, concilio, Phil. 3.2. Econtra, Præputiatus, legis iura seruans pro circumcisio habetur, Rom. 2. 26: est circumcisio, qui spiritu seruit Deo, & gloriatur in Christo Iesu, nec confidit in carne, Phil. 3.3.

Quate*&* ij, qui aqua tantum, non etiam Spiritu sancto & igni baptizati sunt, pro non baptizatis: qui panem Domini & vi-num Domini solum in Cœna sacrosancta, non autem corpus & sanguinem Christi percipiunt, pro alienis à mensa Christi haberi debent.

Econtrariò, qui non contemtu, sed priuatione Sacramen-tum laborant, etiam si aqua nunquam antea sint à verbi ministro abluti, nec vñquam liturgiæ cœnæ Domini antea interfuerint: si modò Spiritu sancto & igni baptizati, Christum Iesum ad sanctificationem induerint, & corporis Christi consortes fuerint, pro baptizatis & Christi *ὑποταπείζοις* habendi sunt. Si tamen postea his Baptismi & Cœnae Dominicæ copia fiat, ijs vten-dum erit summa cum religione, vt quod iam antea *έστωσεν* in illis Spiritus sanctus perfecit & ob-signavit, id ipsum *έξωθεν* ministerio Ecclesiæ; ordinis gratia sanciatur. Quæ enim immediatè Deus præstat, præiudicio non sint ordinariæ dispensationi verbi Dei & Sacramentorum, quum hac vti licet.

## X I.

1. De Paschate. Sacramentum Israelitis erat agnus Paschalisi, & eius esus, certis ritibus constans, Exod. 12. Res autem Sacra-meterat Iesus Christus, qui est agnus Dei, tollens peccatum mun-di, quem Patres fide manducabant, vt & nos, Ioan. 1. 29.

2. Sacramentum agni Paschalisi, institutum anno ab orbe cre-ato 2454, ante Christum natū 1517 (quod diu intermissum, qua-si iure postliminij in usum reuocatum fuit à pio rege Ezechia, anno mundi 3228, ante Christum natum 743, tandem substitutis.

1826744

Scripturæ noui Testamenti, planè antiquatū est, anno æc Christianæ 34, Mundi conditi 4004.) fuit commune omnib, quie galiter modò mundi essent, etiam si inter hos multi essent hypocritæ: vt è diuerso inter legaliter im mundos, & ob eā causam ab Iesu agni Paschalis abstinentes, pij & sinceri multi esse, poterant.

Res autem Sacramenti, videlicet Agnus ille mactatus à Mundis exordio, qui auctæ pro tota Ecclesia persoluit, si non & anterius sacramentalē institutum, & postquam is abolitus est, sicut uandis exhibita fuisset, nemo olim redemptus fuisset, ac nemo erit iamnum saluus fieri posset. Scimus enim, & Patres olim, & hoc tempore nos, non caducis rebus, argento vel auro redemptos esse, sed pretioso sanguine agni immaculati & incontaminati, nempe Christi, præordinati quidem ante iacta mundi fundamenta, pærefacti verò ultimis temporibus, &c. 1. Pet. 1. 18. 19. 20.

3. Negari itaque non debet, nobis quoq; esse Pascha; nisi quis impudenter oggannire velit Spiritui sancto, per os Pauli Apostoli dicenti: Etenim Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est, nempe Christus, 1. Cor. 5. 7.

4. Ut igitur Mosaicum agnum, eiusque solennem esum, solis Israelitis præscriptum, abolitum fuisse; sic spiritualem eum agni Paschalis, Iesu Christi Domini nostri, & Patribus & nobis Christianis communem esse, nihil dubium nobis est.

### XII.

Ex ijs, quæ à nobis hactenus dicta disputataque sunt, sequitur, recte pronunciasse Augustinum, Sacraenta Patrum & nostra diuersa quidem esse; rem tamen & substantiam eandem, & omnibus pijs communem, illis fuisse repræsentatam, quæcum, dicit Paulus, vnum sit corpus Ecclesiæ, vnum Spiritus, vna spes, vnum Dominus, vna fides, vnum Baptisma, vnu Deus & Pater omnium, vnu Mediator Dei & hominum, Homo Iesus Christus, Eph. 4. 4. 5. 6. 1. Tim. 2. 5: ac vetus nouumque Fœdus, non substitutia, sed dispensatione: doctrina etiam diuinitus in illis patefacta, non specie, sed reuelationis mensura & luce distinguatur: id quod pro gratia diuinitus concessa ostendere propositum nobis erat. πάντοι δέξαθεν.

Basileæ, Calendis

Julij, 1583.